

Miss. 11

No
11

12

13

14

15

16

17

18

19

U. g. 17, 11



- N^o
1 Samuel Stryck:
De Jure Putativo
Antonius Daniel Sonnemannus
- 2 De Jure Infantum.
Joh. Joachim: Schöpfferus
- 3 De Juvenum Virginum privilegio, Rom Jüngersellen Dicht.
Marcus Rhodius
- 4 De Immobilibus privatorum allodialibus
Joachimus Hoppius
- 5 De Jure Putativo, ad l. Barbarius 3 ff. de Off. Praet.
Samuel Stryck.
- 6 De Delegato Principis
Petrus Siglitz
- 7 De Comparitione personali in Judio
Godofredus von Jauer
- 8 De Citatione Subdiciaria
Godofredus von Jauer
- 9 De fato declinando

- No
xi De Hodierna Ludorum Iustitia
xii De Foro Studiosi delinquentis
xiii Petrus Sgültz
De rerum Communione
xiv Joh. Joach. Schoepfferus
De Sumptibus Studiorum
xv De dispensatione matrimoniali
Samuel Stryck.
xvi De desertione conjugum malitiosa
Petrus Sgültz
xvii De donatione Principis
Samuel Stryck.
xviii De Fructu defuncti ab herede non praestando
xix De illicita Falcidia distractione
Petrus Sgültz
De Solutione particulari
Joh. Trideric Lhetius
xx De Jure Fidejussorum.

No
xi
xii
xiii De
xiv De
xv De
xvi De
xvii De
xviii De
xix De
xx De
xxi De

No

Petrus Sigulz

21 De leiteratione Tortura

22 De eo quod justum est per consequentiam (occas. l. 62 ff. de A. R. D.
l. 1. pr. et l. 7. in pr. ^{# de} Auth. tut. l. 3. pr. ff. de legit. tut. l. 1.
§. 3. ff. de injur)

23 De Omissis in sententia

24 De Jure Venandi

Joach. Stoppus

25 De Jure impersonalium

Joh. Joach. Schöfferus

26 De Cessatione Legis Anastasiana

Petrus Sigulz

27 De impunitate

Marcus Grotius

28 De Judice litem suam faciente.

Petrus Sigulz

29 De autoritate exceptionis rei judicatae.

30 De Exmissione

Joh. Frider. Rhetius

31 De Censu fundo coherente ad Tit. Cod. Sine censu vel reliq. fundu
comparari non posse

Handwritten marginal notes on the left edge of the page, including the number '2' and several illegible characters.



№ 25

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA,

DE

JURE IMPER-
SONALIUM,

QUAM

OCCASIONE

L. 15. ff. de Stipul. Serv. & Novell. 115. c. 6.

FAVENTE SUPREMO NUMINE,

Consentiente Magn. J. Ctorum Ordine,

IN ILLUSTRIS VIADRINA,

PRÆSIDE

DN. JOACHIMO HOPPIO, J. U. D.

GYMNASII GEDANENSIS VOCATO PROFES-
SORE ET INSPECTORE,

FAUTORE, PRÆCEPTORE, & HOSPITE SUO
HONORATISSIMO,

Die XI. Octobr. Anno M. DC. LXX XII. Horis consvetis,
Placido Eruditorum Examine submittit

CASPAR MATTHÆUS MÜLLER,
ROSTOCHIENSIS.

Francofurti ad Viadrum Literis Johannis Cœpfelii, Acad. Typogr.



DISPUTATIO JURIDICA

DE
JURE IMPER-
ATORIALI

DE
OCCASIONE
L. 1. de Rebus Publicis & Vestibulis

CONSTITUTIONE
IN THEATRIS VIADUCTIBUS

DE JOACHIMO HOFFMANN

GYMNASII GIMNANSIS VIGORIS
SOCIETATIS INSPECTORIS
TUTORIS ET REGENTIS

Die XI. Ochober Anno MDCCLXXII

IN AUSTRIA

IN VIENNA

fu
pe
&
v
V
i
c
in
sel
n
p
p
o
f
f
H
v
v





I. N. F.

Rudenter quidem monuit Tubero:
Verba demonstrare voluntatem dicen-
tis, vocisq; ministerio homines uti, ut de-
signent quid mente agita verint, L. 7. §. 2. ff. de Su-
pell. leg. Hinc omnis obligatio merito ex verbis
& oratione æstimatur, sive illa literis expressa, si-
ve vocibus lingua figuratis prolata, *l. 38. ff. de O. & A.*
Verba enim in contractu legis vicem obtinent, *L.*
1. §. 6. ff. Depos. nec à verborum forma recedendum,
c. 12. X. de Decim. sed eorum proprietati penitus
inhærendum, nisi manifestò appareat aliud sensis-
se loquentes *L. Non aliter. 69 ff. de Leg. 3.* Verùm cum
negotium gesturi non semper apertè satis verba
proferant, vel si proferant, obscura tamen illa ex
postfacto videantur, non infreqvens in Judiciis
occurrit controversia, contra quem verba obscura
sint interpretanda, *L. Veteribus. 39. ff. de Pact.* Ob-
scuritas hæc vel rem concernit vel personam;
Haud rarò enim in obscuro est, quid promissum
vel quantum, quo casu Jura vel id seqvendum
volunt quod minimum est, *l. 9. ff. de R. I.* vel il-
lud etiam quod est verosimilius, *L. In obscuris. 114.*

A 2

ff. de

ff. de R. l. Illa verò obscuritas, quæ personam concernit, præcipuè se exserit in verbis impersonalibus, ubi quis promiserit, vel cui promissum, ex generalitate verborum in ambiguo est, quo casu obscura responsio habetur pariter ac si plane non esset responsum, *L. De atate. 11 §. 7. ff. de Interrog. in Jur. fac.* Cum itaque lites ex hâc Impersonalitate oriundæ judiciali deciso opus habeant, nec jura nostra impersonales promissiones & stipulationes neglexerint in *§. 1. J. & L. 15. ff. de stipulat. servor. Auth. Si quando. C. de Constitut. pecun.* non operam me lusurum credidi, hanc materiam Impersonalium hæctenus à nemine, quantum percontari licuit, expositam, Exercitii Academici loco proponendo, & quæ hinc inde observata in ordinem redigendo. Ubi tamen non Grammaticorum impersonalibus verbis inhærebimus, verùm omnia huc revocabimus, quæ personam concernunt, citra tamen determinationem personæ prolata. Quod si non ubivis exactè omnia Tibi exposita videantur, L. B. & tenuitati ingenii, & festinationi pro candore tuo indulgebis. DEUS Optimus Maximus, quicquid hîc susceptum operæ, felicissimo successu clementissimè secundet!

CAP. I.



CAP. I.

De

JURE IMPERSONALIUM IN GENERE.

I.



Ominum causa omne jus esse constitu-
tum tralatitium est, *ex l. 2. ff. de Stat. Homin.*
Neque enim de jure vel injuria, justitia vel
injustitia quæstio moveri potest, nisi duæ ad
minimum adsint personæ, fatente Philosopho
in l. 5. Ethic. Nicom. Cap. 3. Unde quamvis res
& actiones alioquin à personis distingvantur, *§. ult. 7. de jur.*
Nat. Gent. & Civ. & l. 1. ff. de Stat. Homin. quia sc. non sunt
merè personales & separatim considerari possunt, quin ta-
men certo respectu personis quoq; competant res & actio-
nes, extra dubium est. Inde jus persequendi in judicio, quod
sibi debetur, dicitur actio, *pr. 7. de Act. l. 51. ff. de O. & A.* &
obligationum substantia non in eo consistere dicitur, ut ali-
quod corpus nostrum, aut servitutem nostram faciat, sed ut
alium nobis obstringat, ad dandum aliquid vel faciendum
vel præstandum *l. Obligationum 3. ff. eod. & pr. 7. de Obligat.*

*Hominū
causa o-
mne jus
constitu-
tum.*

II. In toto itaque jure nostro personarum occurrit con-
sideratio, licet alio atque alio respectu, vid. Hahn. *ad Wesenb.*
tit. de stat. hom. n. 1. Siquidem, ut inquit Oldendorp. *Class. 4.*
Action. For. in pr. §. fin. tota juris sanctio in tria dividitur
officia: *Primum* ut personarum condiciones rectè distribuat:
Secundum ut formulas communicandarum rerum præscri-
bat, juxta quas *personæ quæq;* in sua functione accipiant, red-
dantq; alter alteri vitæ necessaria. *Tertium* si quis ordina-
tionem personarum vel rerum inturbet, ut is conveniri

*Hinc in
toto jure
nostro per
sonarum
occurrit
conside-
ratio.*



ab altera persona actionum formulis possit, aliàs civiliter, aliàs criminaliter pro qualitate delicti.

*Persona
sunt vel
certæ.*

*vel incer-
ta.*

*Unde hac
incerti-
tudo.*

*Origovo-
cabuli Im-
persona-
nalis.*

*Persona-
lis descē-
dit à per-
sona.*

III. Sunt verò personæ ita generaliter consideratæ duplices: *Aliæ* nimirum certæ, *aliæ* incertæ. *Certæ* dicuntur, quæ quales sint, ex ipsa pronuntiatione apparet, arg. *l. Stipulationum 74. ff. de V. O.* seu quæ aut nomine suo, aut ea demonstratione, quæ fungitur vice nominis, ostenduntur, arg. *L. Certum 6. ff. de R. C.* utpote si quis dixerit: *Homo Stichus d. l. 74.* aut si digito indicaverit personam *d. l. 6. d. R. C.* *Incertæ* contra, quæ quales sint ignoratur, *dd. text.* Vel ubi ad minimum non constat, quam personam aliquis intellexerit.

Add. t. tit. C. de incert. pers. ibiq; Cujac. Cujusmodi incertitudo ex verbis non solum generalibus & indefinitis hinc inde oritur, sed quoque in specie sic dictis impersonalibus: Unde quid circa illa juris, pluribus hic dicere constituimus.

IV. Ne tamen ipsum vocabulum *Impersonalis* politiciori cuidam nauseam moveat, paucis scaturigo ejus, & cur nos eo usi præmittendum. Compositum autem est à dictione: *In*, & verbo: *Personalis*. Dictio: *In* cum alii voci additur nonnunquam auget significationem, nonnunquam minuit. Sic *indifficilis* Glossa inquit, i. e. valde difficilis ad *L. Gallus §. 15. verb. indifficilis de Hered. instit.* Sic *damnum infectum* dicitur i. e. *damnum non factum.* Cujus generis plura exempla refert Excell. Dn. Strauch. in *Lexic. Particul. jur. voc. In n. 21.* Nobis hic negativè capitur prout aliàs sæpissimè in jure nostro usurpari, notat Menoch. *de Presumpt. Lib. 4. Qu. 1. n. 3.*

V. Quod attinet vocabulum *Personalis*, illud à *Persona* descendit, cujus originem tradit Gerh. Joh. Voss. in *Etymolog. Lingu. Latin. voc. Persona.* Acceptiones verò in jure Sebast. Almers in *Manual. jur. voc. ead.* & seqvioris ætatis Carol. du Fresne. in *Gloss. med. & inf. Latin. d. voc.* Nos ne nimium à scopo aberremus missa voce: *Persona*, hinc derivatum verbum: *Personalis* impræsentiarum duntaxat considerabimus, quippe quod non in una materia juris usum habet

bet; Quemadmodū verò *Persona*, postquam è scena & teatro, cujus propriū olim fuisse vocabulū docet Røvard. *L. 1. Conjectan. Cap. 7.* ad munia vitæ Civilis, quæ ceu vultū quendā Civis extrinsecus assumit, transferri cœpit, omnibus fere hominis partibus accommodata est, unde notæ formulæ *Persona Jcti, Auditorū, Viri boni, Fortis, Poëta, Questoris, Actoris, Rei, Mariti, &c.* de quibus passim in LL. nostris, uti *L. Solemus 61. pr. ff. de judic. L. si cum dotem 22. §. 6. ff. Solut. matrim. l. fin. §. 1. ff. de Liber. caus. L. interdum 56. §. 4. ff. de Furt.* Add. Strauch. in *Diss. 1. Jur. Justin. tb. 16.* Qua ratione nihil interest, an de masculo vel fœmina quæstio sit, cum utriq; Personæ conveniat appellatio *c. cum persona 7. de privileg. in 6. c. Mulieres 6. X. de sentent. Excommun.* Rebuff. ad *L. 1. ff. de V. S. vers. Duodecimo.* Sic quoq; vox *Personalis* ad omnia illa in genere relata est, quæ ad ejusmodi hominis partes spectant, aut illuc diriguntur, was auff einer oder ander Person gerichtet wird: Unde de injuriis certam personam concernentibus vulgò dicere solemus: Man hätte sich allerhand anzüglichen Worten und *Personalien* gebraucht: Et hominis cujusvis vitæ curriculum denotare volentes, utimur voce *Personalium*, quia in hoc talia exhibentur, quæ personam defuncti concernunt.

VI. Et hoc sensu quamvis jura Personarum quandoq; Civitatibus & universitatibus applicentur, utpote quæ ex personis constant *l. 7. §. fin. ff. Quod cujusq; univers. nom. ob quam causam & ex contractu obligantur, L. Civitas 27. ff. de Reb. cred. & jura Minorum hinc inde civitatibus tribuuntur L. Resp. 4. C. quib. ex caus. major. Sfort. Odd. de Restit. in integr. P. 1. Q. 3. n. 58.* Sub personæ tamen appellatione propria non venit Civitas vel universitas, quod variis Exemplis confirmat Aug. Barbof. *de Appell. Verb. signific. Appell. 198. n. 1. seqq.* licet in favorabilibus id temperet Tusch. *Pract. Concl. lit. P. Concl. 318. n. 15.*

VII. Ex qua generali significatione variis in Jure nostro materiis in specie postea verbum *Personalis* applicari cœpit, quas plerasq; ad duplicem significatum nunc revocabimus.

Significatio Personæ.

Significatio verbi Personalis.

Civitas an veniat nomine personæ?

Personale quotupliciter in jure accipitur.

Vel enim *Personale* aliquid seu in personam dicitur generaliter, vel specialiter. *Generaliter* seu latius illud personale dicitur, quod personam ligat, non tamen ita, ut in ea terminetur, sed ad hæredes transmittatur: Et hoc sensu *obligationes & actiones* dicuntur *personales*, l. 3. §. Est autem *personalis* 3. ff. *Ad exhib. l. fin. C. de O. & A.* quia solum adversus eum competunt, qui vel ad dandum vel ad faciendum aliquid est obligatus *L. Actionum 25. ff. de O & A. & §. 1. J. de Action.* Pari modo in mixtis judiciis *Prestationes* dicuntur *personales* *L. 22. §. 4. ff. famil. ercisc.* quia ad id ibi agitur, ut vel lucrum quod una *persona* ex consortibus percepit, cæteris communicetur, vel damnum unius dolo aut culpa levi datum pro cuiusq; rata resarciatur, vel impensæ necessario aut utiliter erogata restituantur. *L. 3. L. 4. §. 3. & 4. L. 6. §. 1. L. 11. ff. Commun. divid. L. 6. §. 2. L. 8. seqq. ff. famil. ercisc. §. 20. J. de Act.*

Quid specialiter denotet?

VIII. *Specialiter* *Personale* dicitur, quod cum *persona* extinguitur & quasi commoritur, cuiusmodi sunt *Personalia Rescripta, Constitutiones & Beneficia* *L. 13. ff. Solut. matrim. L. 196. ff. de R. I.* quippe quæ ultra personam, cui concessa, non extenduntur *L. 1. ff. de Constit. Princ. §. 6. J. de J. N. G. & Civ.* Sic quoq; hoc intuitu *servitutes* dicuntur *personales*, quia personæ coherent & cum *persona* pereunt. *L. Non solum 8. §. 3. ff. de Liber. legat. L. Lucius 37. ff. de Serv. Rust. Præd. Ut & pacta personalia*, quæ sc. eo animo inita, ut soli paciscenti proderent *L. Juris gentium 7. §. 8. ff. de Pact. cum sola personæ expressio non faciat pactum personale d. L. 7. §. 8. conf. Hahn. in Diss. jurid. Diss. 2. de Pact. th. 65. Richter in Tr. de signif. Adverb. lit. p. n. 34.*

Personale aliàs opponitur Reale.

IX. Et hoc respectu *Personali* vulgò opponi solet *Reale*, quod sc. ob rem conceditur nec respicit certam personam. Sic *servitutes* dicuntur *Reales*, quæ prædio inhaerent. *Dd. ad pr. J. de servit. Præd.* Sic *privilegia* rei concessa, *Realia* solent dici, utpote quæ ad quosvis rei privilegiatæ possessores transeunt, *Dn. D. Stryk. in Annot. ad §. 6. J. de J. N. G. & C. verb. Perso-*

Personales: Nec aliter *Vitia* dicuntur *Realia*, quam quia rebus, i. e. possessionibus ipsis inhærent, remq; omnimodo à quovis possessore usucapi prohibent. *L. Vitia 11. C. de acquir. & retin. poss. L. 24. §. 1. ff. de Usucap.* Pariter *Actiones* hac ratione *Reales* vocantur, quæ respectu rei competunt, seu ex jure in re oriuntur. *Dd. ad §. 1. §. de Act.* Quæ omnia quamvis *Jura nostra* quoad rem ipsam probent, à voce tamen *Realis* omnibus modis abstinere, quin potius loco illius *Servitutes* in rem dicunt *L. Cajus 12. ff. de Ann. Legat.* *Actiones* in rem *§. 1. §. de Act.* pacta in rem *L. 7. §. 8. ff. de Pact.* *Vitia* ex re *d. l. 24. §. 1. de Usucap.* & sic in similibus.

X. Vox ergò *Impersonalis* non opponitur personali, nisi in vulgari & propriissimo significato, quem *tb. 5. in fin.* retulimus. Sic enim sicut *Personale* denotat omne id, quod in personam dirigitur, seu certæ personæ applicatur, quo sensu *Personaliter* capitur in *c. 34. de Elect. in 6. c. 6. X. de Infit.* & *Clement Diæcesanis 1. de Vit. & honest. Cleric.* pro eo sc. was Persönlich oder in eigener Person; Quorsum pertinet assertio *Dd.* quod particula *Personaliter* in statuto expressa in faciente per alium non verificetur, *Mar. Giurb. Decis. Regn. Sicil. 118. n. 25.* Ita *Impersonale* omne id significat, quod in certam personam non dirigitur, seu quod nihil certi & explorati habet, sed indefinitè atq; obscurè positum, ancipites nos efficit, ut ignoremus de qua persona illud intelligere debeamus. *Dn. Richter in Tr. de Signific. Adverb. lit 7. n. 9.* & hoc sensu *stipulationes* in jure nostro dicuntur *impersonales*, seu *impersonaliter*, Græcè ἀπροσώπως, qua voce utuntur *Basilica: ὁ δὲ λόγος μὲν ἐστὶ ἀπροσώπως ἐπισημασθεὶς ἐμοὶ πρὸς ποιεῖς.* *Leunclav. Synops. Basilic. P. 24. p. 256.* conceptæ, uti videre est ex *§. 1. §. de stipul. Serv. L. 15. ff. Eod. & Auth. si quando C. de Constit. pecun.* Et apud Grammaticos *Verba* quædam hoc modo appellantur *impersonalia*, ut adeò sufficere hæc possint ad excusandam hujus *Disputationis* inscriptionem.

XI. Ex quibus omnibus non amplius latere puto, quid

B

nobis

Jura nostra abstinere à voce Realis.

Quomodo impersonale opponatur personali.

Quid hic significet impersonale?

Quid sint impersonalia?

nobis hic sint IMPERSONALIA, scilicet, VERBA SINE APPLICATIONE AD CERTAM PERSONAM PROLATA.

*Quid per
certam per-
sonam in-
telligam?*

XII. Descriptio hæc ulteriori explicatione meo judicio non indiget, cum sensus ejus cuiq; obvius. Hoc tantum circa illam monendum duco, per *certam personam* non intelligere nos unam aliquam personam singularem, verum etiam plures: Etenim & circa plures personas certitudo esse potest, modo pluralitas illa genericam determinationem habeat. Sic si ordinibus v. g. Senatoribus certæ Civitatis vel Ecclesiæ Ministris quidquam promittatur, non impersonalis illa promissio erit; cum hæ personæ incertæ non sint, sed satis determinatæ, ut liquidò de illis constare possit. Quod similiter in aliis quoq; casibus obtinet.

*Verba
Generalia
quomodo
differant
ab imper-
sonalib9.*

XIII. Apparet hinc, verba generalia non semper eadem esse cum impersonalibus, licet interdum convenient: *Generalia* enim quandoq; *pro universalibus* capiuntur, & eo modo absolutè impersonalia dici non possunt, sed tantum respectu personæ singularis, licet nec hæ exclusæ, sed tacitè sub universalitate comprehensa; cum verba universalia idem operentur ac si de singulis facta fuisset specialis mentio. Dunozet. *Dec. 230. n. 11. & seqq. & Dec. 135. n. 7.* Marius Giruba *Decis. Regn. Sicil. III. n. 15.* Et verbis universalibus nihil relinqvatur intactum, quemadmodum inquit Marc. Anton. Maceraten *Pract. Resolut. Libr. 3. Resolut. 19. n. 1.* Quod ipsum in sequentibus Capitibus Exemplis hinc inde declarabitur; Interdum verò *Generalia* verba *opponuntur universalibus* & idem involvunt, quod in Logicis de indefinita propositione asseritur; Quorsum pertinet illa societatis distinctio in universorum bonorum, Bonorum, & certorum bonorum; *pr. 7. de Societ. Add. L. 3. S. 1. L. 7. L. 5. pr. ff. Eod.* Quæ ratione illa verba *Generalia* dicuntur, quæ sine expressa particula universalis proferuntur. Petr. Francisc. de Tonduti *Quest. & Resolut. Civil. p. 1. Cap. 40. n. 3.* De qua differentia uni-

universalium & generalium vid. Gloss. ad L. 1. verb. non aliter ff. de Offic. ejus cui mand. jurisd.

XIV. Et hoc ultimo sensu Generalia pro impersonalibus haberi possunt, cum incertum, de qua persona senserit is, qui verba talia protulit, cum se omnes comprehendere vellet non expresserit, nisi aliunde ex circumstantis appareat, se verba indefinita universaliter voluisse intellecta. Quantum ad verba particularia, quæ expressum habent particulare signum, dubium non est, quin ad impersonalia magis pertineant, quam generalia vel indefinita. Ut enim particularitas admodum fuerit restricta E. gr. *quibusdam ex Collegio Senatorum promitto mille* adhuc tamen impersonalia hæc verba manebunt, ob incertitudinem, quinam illi ex Senatoribus sint, quibus promissum. Certitudo ergo individualis, quam ICTI specificam vocant, requiritur, ne negotium dicatur impersonale.

XV. Caterum non unius generis sunt impersonalia: Præterquam enim, quod vel à parte stipulantis proferantur, vel etiam à parte promittentis, de quo suo loco pluribus; Alia quoque impersonalitas est circa obligationem, alia circa obligationis executionem Petr. Franc. de Tonduti Resol. Civil. p. 2. C. 186. n. 11. Bartol. ad Auth. si quando C. de Const. pecun. Ulterius impersonalia sunt alia absolutè talia, alia verò respectivè. Absolutè talia, quæ in incerta & cæca opinione consistunt. Seu: quando nullis certis terminis mens & cogitatio proferentis est circumscripta, sed is in genere adeò incertam personam expressit, ut quæ & qualis illa futura sit penitus ignoretur, cujusmodi exemplum proponitur in §. Incertis 25. §. de Legat. V. gr. si testator ita dixerit: *Quicumque filio meo filiam suam in matrimonium, dederit ei hæres meus illum fundum vel centum dato.* Hæc enim locutio absolutè impersonalis est, cum ne in genere quidem sciri possit, quis ille sit futurus, cui Testator fundum vel centum dare jussit, num amicus, an inimicus, dignus, an indignus. Cui simile est, si Testator illis legaverit, qui post testamentum factum,

Quo sensu pro impersonalibus habeantur.

Quid de verb. particularibus habendum?

Divisiones Impersonalium.

Quæ dicantur absolutè Impersonalia.

primi Consules essent designati: Etenim & hoc valde incertum erat apud Romanos, quis Consul futurus esset: cum libera fuerit illius Magistratus electio, & ex mera populi voluntate dependerit: itaq; ne in genere quidem sciri poterat à Testatore vel quocunq; alio, quis futurus esset Consul, adeoq; simplex in hoc sermone erat Impersonalitas. Harpr. *ad d. §. 25. §. de Legat. n. 4. Vinn. ad Instit. ad. eund §.*

*Qua re-
spectivè
imperso-
nalia.*

XVI. *Respectivè impersonalia sunt, quando quis ad certum personarum ordinem vel numerum voluntatem suam restrinxit, utpote si quis legaturus dixerit: Ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam uxorem duxerit, ei heres meus illam rem dato: Verba enim qui nunc sunt, restringunt demonstrationem impersonalem, faciuntq; voluntatem proferentis non adeò vagari sub incerto, uti vagaretur si illa verba addita non fuissent. Cujac. ad tit. C. de incert. person. Vinn. d. L. n. 2. in fin. Quæ ut & alia sequens specialis tractatio pluribus edocebit, ad quam nos conferentes, proponimus.*

CAP. II.

De

JURE IMPERSONALIUM CIRCA ACTUS INTER VIVOS.

I.

Transitus

Sine Tra-

ditione

nullum

transit

dominiū.

Actus inter vivos consideraturis, inq; his impersonalitate, non inutile erit in genere quædam de TRADITIONE præmississe, quippe sine qua extra fictionem brevis manus haud temerè inter vivos ullum transit dominium §. 40. §. de R. D. L. Traditionibus 20. C. de transit. pact. Add. Dn. Pufendorff. d. J. N. & G. L. 4. Cap. 9. §. 4. & seqq. Hæc

Hæc ut effectum suum sortiatur, inter alia requiritur duarum voluntatum concursus, dantis nimirum & accipientis, Pufendorff. d. Cap. 9. §. 2. Nisi enim, ut inquit Javolenus in L. 55. ff. de O. & A. animus utriusq; consentiat, perducere ad effectum, quod inchoatur, non potest. Vel itaq; ipse Dominus rem tradere debet, vel secundum voluntatem ejus alius §. 42. 7. de Rer. Div. & L. 9. §. 4. ff. de A. R. D. L. 1. C. per quas pers. nob. oblig. acquir. Cum & hic quod quis per alium facit, dum ei mandat aut jubet, ut faciat, ipse fecisse videatur L. ita autem. 5. §. 3. ff. de Admin. Tut. L. 1. §. 12. ff. de Vi & Vi armat. & L. 1. §. 2. ff. de Eo, per quem fact.

II. Quod quidem, si Procurator exprimat cujus nomine rem tradat, difficultate caret; Verum quid juris, si impersonaliter, seu nulla persona expressa tradiderit? Et nihilominus non suo sed alieno nomine transfuisse Dominium præsumi ex persona Domini, verius est, per L. fin. C. per quas tradat, an pers. nob. acquir. Cui accedit, quod in L. Servus communis §. nomine §. ult. ff. de Stipul. Serv. simpliciter dicatur, servum jussu Domini Dominus Domini stipulantem, illi soli Domino acquirere Dominium, nulla distinctione facta utrum in venditione mentionem fecerit jussus, annon; quidni ergo Procurator sine ulla personæ adjectione, uti dicitur in L. proinde 7. §. 1. ff. Eod. seu impersonaliter, uti explicat Gothofr. ad d. l. lit. B. tradens, procuratorio mandantis nomine tradidisse intelligendus Conf. Tiraqvell. de Retract. Convent. ad fin. tit. n. 117. Inde quoq; dubium non est, quin Dominus hoc casu, non Procurator de Evictione rei traditæ teneatur, per ea quæ habet Franzk. ad ff. tit. de Eviction. n. 231. Nisi accipiens bona fide putaverit, Procuratorem suo nomine vendidisse, quo casu concedenda foret actio de evictione contra Procuratorem B. Brunnem. ad d. L. 5. ff. de Stipul. Serv. in fin.

III. An idem obtineat in Procuratore accipiente admodum inter Doctores controversum: Neq; enim hic adeo expeditum, si impersonaliter vel sine adjectione nominis, uti dicitur in L. 17. & L. 1. pr. ff. de Stipul. Serv. rem quandam

cui acquiratur Dominium?

acceperit Procurator, cui ejus acquiratur Dominium? Difficultatem Decisionis imprimis parit *L. per servum 37. §. fin. vers. Nam et si ff. de A. R. D.* cui aperte adversatur Ulpianus in *L. Qui mihi donatum 13. ff. de Donat.* Dicitur enim in illa, quod si Procuratori meo res tradita, ut mihi acquireret; is eo animo acceperit, ut sibi acquireret, *nihil agatur*; Contra in hac, quod si Procuratori meo ea mente res tradita, ut mihi acquireret; Procurator vero acceperit, sibi acquiratur, *mibi tamen acquiratur.*

Utilitas hujus Questionis.

IV. Questionis hujus maxima utilitas est, non quidem in eo, ut sciamus, num Domino contra Procuratorem actio competat, ad rem suo mandato emptam tradendam, de hoc enim non valde dubitatur. Bald. *ad L. 4. C. Commun. utr. judic. n. 5.* Verum an Concursu Creditorum instituto, Dominus mandans præferatur reliquis Procuratoris Creditoribus in re acquisita. Etenim si Dominium ad mandantem translatum, præfertur; sin contra, secus. Qui enim jura domini habent, merito primum inter Creditores nanciscuntur locum, cum nullius justior quam ipsius Domini possit esse petitio, *L. Bona fides 31. §. 1. ff. de pos. Dn. Richt. de Privil. Credit. L. 3. Cap. 2. membr. 1.* Quod secus in aliis Creditoribus, quippe quibus credita sua ex propriis communis Debitoris bonis sunt exsolvenda. B. Brunnem. *in Proc. Civil. nuper edito Cap. 5. §. 5.*

Conciliatur *L. 37. §. fin. ff. de A. R. cum L. 13. ff. de Donat.*

V. Missis aliorum responsionibus, utpote quæ rem ipsam tangere non videntur, indeque pari, quæ proferuntur facilitate refelluntur, prout videre licet apud Wissenbach. *ad ff. Diss. 19. th. 6.* placet nobis illa, quam adfert Donell. *Libr. 5. Jur. Civ. Cap. 10. in fin.* Videndum nimirum esse: Utrum procurator seu mandatarius expressè suo nomine contraxerit, vel rem acceperit; an verò simpliciter seu impersonaliter: *Priori casu*, si alter nominatim rem tradiderit mandantis seu Domini nomine, neque in eo, quod Procurator suo nomine accipiat, consenserit, nihil agitur, i. e. neque Domino neque Procuratori res acquiratur, juxta Julianum in *d. L. 37. §. fin.*

S. fin. ff. de A. R. D. Dissensus enim utriusq; partis impedit Domini translationem *L. In omnibus 55. ff. de O. & A. Posteriori verò casu*, si possessor Domini nomine rem tradiderit; Procurator autem apud animum suum sibi rem gesturus, non adjecta persona acceperit, nihil de voluntate sua testatus, Domino acquiritur possessio, juxta Ulpianum in *d. L. 13. ff. de Donat.* Propositum enim Procuratoris in mente retentum nihil operatur *L. 7. C. de Condict. ob caus. dat.* Et plus valet, quod agitur, quam quod simulatè concipitur, *tot. tit. C. plus val. quod agitur.* Quam responsionem quoq; approbat Hilliger *ad Donell. d. loc. lit. C.*

VI. Et hoc multò magis procedit, si ex circumstantiis non potuerit aliter concludi, quam alieno nomine contrahere Procuratorem, v. gr. si constiterit rem emtam pecunia Domini esse solutam: sic enim dubium non est, quin per traditionem hoc nomine factam non ipsi, sed Mandanti acquiritur Dominium, hincq; aliis Creditoribus in ista re jure merito præferatur. Andr. Gail. *L. 2. obs. 12. n. 3.* Ex qua causa Supremam Hollandiæ Curiam ita judicasse refert Jacob. Cooren. *Obs. 25.* per Procuratorem mandanti acquiri possessionem & proprietatem in contrahendo, etiamsi nulla mandati vel personæ facta fuerit mentio, neq; nova traditio aut cessio intercesserit, eoq; Domino mandanti rei, pecuniâ & mandato suo emtæ vindicationem jure competere. Conf. Simon van Leewen. *in Censur. Forens. Part. 1. Lib. 4. Cap. 3. n. 9.* Dn. Struv. *in jurispr. Forens. lib. 3. tit. 19. aphor. 8.*

VII. Cæterum ut voluntas transferendi Dominium specialis sit, seu in certam personam directum, illud non ubiq; necessarium. Nam interdum & in incertam personam collata voluntas Domini, transfert rei proprietatem §. 46. *J. de R. D. L. Qua ratione 9. §. 7. ff. de A. R. D.* ut adeò non noceat hic impersonalitas. Extat hujus rei notabile exemplum in *missilibus*, quæ hoc animo sparguntur, ut quod eorum quisq; sit excepturus, hoc sibi retineat. Nec scrupuli vicquam est, quo minus justa illa traditio, videatur, quia

*Ampliat-
tur Qua-
estio pro-
posita.*

*Transfer-
tur Domi-
niū ut ut
voluntas
Domini
imperso-
nalis.
Exemplū
in Missili-
bus.*

voluntas spargentis & ejicientis est perspicua, licet præcedens destinatio fuerit vaga & impersonalis; insuper ipse rapiens hoc animo, quod sibi velit Dominium acquirere, rem accipit, unde procul dubio Dominium suum efficit, Dn. D. Stryk. *in Annot. ad §. 46. J. de R. D.*

Hoc hodie ad huc obtinet.

VIII Licet autem ad Prætores & Consules hunc missilia spargendi morem restringat Imperator d. §. 46. (quem tamen veteribus Romanorum Magistratibus fuisse usitatum, parum ex Historicis constat, non quod minus ambiciosi vel sanctiores fuerint, sed quia major in libertate populi Majestas erat, quàm ut missilibus diripiendis, quod vel puerile vel servile videbatur, committi se pateretur,) & postea ipsis quoque Prætoribus & Consulibus ejusmodi sparsiones prohibita L. 2. C. de Consul. & Nov. 105. Conf. Ahasv. Fritsch. *in Diss. de Spars. Missil. ad d. L. 2. de Consul.* Nihilominus dubium non est, quin si quis hodie dominium alicujus rei, modo non moneta sit certo & speciali caractere projicientis gratia insignita, in aliquem vel aliquos ex quocunque hominum præsentium & ejusmodi res missiles direpturientium, coetu transferre voluerit, effectum habeat translatio. Quicumque enim in commune (non si ex coetu certo cuidam quid projiciat) aliquid emittit aut spargit, ille uti vult ejus esse, qui acceperit, & in hunc finem possessionem rei animo & corpore relinquit & dimittit, ita etiam sine dubio accipientis facit per rapinam, uti loquitur Dn. Rebhan. *in Hodog. jur. p. 241.*

Aliud Exemplum in rebus pro derelicto habitis.

IX. Simile fere Exemplum occurrit in rebus pro derelicto habitis. Etenim & hic abjectio & derelictio rei, eo animo facta, ne res in numero rerum nostrarum sit ulterius, pro vera traditione habetur; Dominusque hoc ipso sufficienter declarasse censetur, quod eam rem alicujus fieri, & sic in eum transferre voluerit §. 47. J. de R. D. & L. 5. §. 1. ff. pro Derelict. Quicumque ergo ille fuerit, qui talem rem occupaverit, ille non ex hoc, quod res nullius sit, eandem acquirat, verum quod Dominus derelinquens, Dominium in eum tanquam

quam primum occupantem transferre voluerit; Unde si Dominus non sit derelinquens, adhuc tamen conditionem ufucapiendi transfert *L. 4. seqq. ff. b. t.* Quod manifestum satis argumentum est, à voluntate ipsius derelinquentis dependere ejusmodi rei acquisitionem. Conf. Dn. Harprecht. *ad d. §. 47. §. de R. D. in fin.*

X. Progredimur hinc ad PACTA, utpote quæ etiam non rarò Impersonaliter concipiuntur, unde dubium oriri solet, quid tali casu operentur; Loquimur autem hic de pactis non solum in rem conceptis, verum etiam in personam: Utraq; enim impersonalia esse possunt, cum non eapropter dicantur in rem, quod de rebus, vel in personam, quod de personis fiant, sed quia hæc personæ demum paciscenti profunt, illa verò ultra eam personam ad alias etiam porriguntur. *L. idem in duobus 25. §. 1. & L. 40. ff. de Pact.* Dn. Böckelm. *ad ff. tit. Eod. n. 16.* Quia in re potissimum ad personam debitoris respiciendum esse, acutè suo more docet Excell. Dn. Strauch. *Diss. 12. ad Jus Justin. th. 5. in fin.* Ita scilicet, ut ex mente contrahentium, quæ magis hoc casu inspicienda, quam personæ denominatio *L. juris Gentium 7. §. 8. ff. Eod.* Vel in debitore terminetur pactum, vel ulterius ad alios extendatur. Unde quamvis pactum: *Ne à te petatur*, revera merè personale sit, præprimis si personæ mentio taxativè insuper facta; Aliud enim si enunciativè, decidente *Mev. p. 5. Dec. 348.* respectu tamen Creditoris semper est & manet impersonale.

XI. Non abs re igitur de effectu hujusmodi pacti quæritur: An nimirum impersonalis illa Creditoris promissio, quæ dixit Debitori: *A te hac summa non exigetur.* *Ihr sollet um diese Gelder nimmer gemahnet werden / de hærede quoq; Creditoris sit intelligenda, ita ut & hic à petitione debiti excludatur? Quod quidem quamdiu Debitor vivit, cui hoc in specie promissum, extra dubium videtur. Dn. Strauch. d. l. cum hæres non possit contravenire promissioni defuncti L. cum à matre 14. C. de R. V. sed absq; ullo scrupulo te-*

Pacta
quoq; im-
personaliter sæpe
concipiuntur.

An im-
personalis Credi-
toris pro-
missio: à
te summa
non exi-
getur, de
hærede
Credito-

C

*vis sit in-
telligen-
da?*

neatur observare conventa per defunctum, uti loquitur Francisc. Viv. *Decis. Neapol. 118. n. 5.* Ast quid si Debitor decesserit? Et puto hoc casu ex circumstantiis de voluntate Creditoris argumentum desumendum, utrum nimirum penitus voluerit debitum sublatum, quo casu pactum reale foret, an verò præsentis Debitoris gratia exactiorem saltem distulerit, quo casu pactum esset personale. *Priori casu* dubium non est, quin impersonaliter loquens Creditor, hæredes quoque; voluerit obstringere & à petitione excludere; *Posteriori verò casu* secus, ne alioquin actus operetur ultra intentionem Creditoris *L. 3. § 19. ff. de R. C.*

*Constitu-
tum Im-
persona-
le an va-
leat?*

XII. Pactis accensetur CONSTITUTUM: Est enim constituere nihil aliud, quam denuo pacisci, seu nudo pacto promittere, quod ante debebatur, *§. 9. 7. de Action.* Wesenb. *in Paratitl. tit. de Const. Pec. n. 2.* Ad hujus formam modumve maximè requiritur, ne fiat impersonaliter, Eckolt. *ad ff. tit. Eod. §. 10.* Nam si quando quis pro se vel pro alia persona solvere se pecuniam constituerit vel sponderit, sic dicens: Satisfaciam tibi, tenetur pro quantitate, quam promisit, si autem sic dixerit: Satisfiet à me & ab illo, & ab illo; Illis quidem quos nominaverit, non consentientibus, solus pro rata tantum portione persolvet: Si autem dixerit: Satisfiet, verbo impersonaliter prolato non tenebitur, ut habent verba *Auth. si quando C. de Const. pecun.* desumpta ex *Novell. 115. c. 6.* Quæ *Auth.* cum omnium judicio, uti loquitur Sichard. *ad illam. n. 1. u-*tilis, bona & notabilis sit, ideò quantum ad impersonale constitutum, quousque illud inutile sit, accuratius non nihil nobis erit excutienda.

*Quenam
Imperso-
nalis pro-
missio re-
jiciatur
in Auth.
si quando
C. de Cō-
stit. pec.?*

XIII. Quamvis verò communis Doctorum Scholæ omne constitutum impersonale vi hujus Authentice rejiciat, eumque; qui verbo aliquo impersonali utitur, tanquam si nihil promiserit, ab omni exactiōe liberum pronunciet, juxta *d. Novell. 115. cap. 6.* Nonnulli etiam eadem Authentica moti, impersonalem stipulationem impugnent, inter quos est Wesenb. *ad ff. tit. de F. O. n. 4.* Non tamen hæc adeò simpliciter proce-

procedere posse, dudum visum fuit prudentioribus. Inde strictius capere cœpit d. Auth. Acutissimus ille Cujacius ad L. Stipulationem 5. ff. de V. O. in fin. quiq; hunc postea insecti Zœl. ad ff. tit. Eod. n. 14. Joh. Gœdd. de contrub. & committ. stipul. Cap. 4. n. 33. putantes non aliam inibi infirmari impersonalem stipulationem, quàm illam: *Fiet satis*, aliasq; huic æquipollentes, quæ cum in futurum relatæ sunt, efficiunt, ut ex præsentis statum obligationis non accipiant, neq; certum faciant, quis ille futurus sit, à quo promitteretur vel à quo satisfiet: Unde ob diversitatis rationem ad alias diversi generis promissiones hinc non esse concludendum, hi ipsi Doctores autumârunt.

XIV. Juxta hos itaq; , ut paulo clarius brevissimis tamen id referam, videndum inprimis esset, quibus impersonalibus verbis usus fuerit constituens. Etenim si hæc talia fuerint, quæ in futurum differunt & promissionem & obligationem, adeoq; non constituunt ex præsentis obligationis substantiam, sed eam constituendam in aliud tempus rejiciunt, non teneret constitutum, utpote si quis dixerit: *Constituentur decem, promittentur decem, satisfiet*. Ejusmodi enim verba ad nullam certam personam referri possunt, quæ ratione intelligendum Imperatorem in d. Auth. & Nov. 115. c. 6. volunt; Sin autem talia fuerint, quæ præsentem inducunt obligationem, nullam putant satis prægnantem afferri posse rationem, cur non valere debeat constitutum, cum ille, qui his verbis promisit: *Dabuntur, promittuntur, numerabuntur, satisfiet, constituuntur decem, quæ Titius debet*, de se sensisse videatur, adeoq; in continenti incipiat esse obligatus; Si enim dabuntur utiq; à se dari voluisse putandus, cum in dubio impersonalis promissio de promittente sit intelligenda. Bertachin. in Repert. jur. voc. Promissio. n. 110.

XV. Verum enim verò licet hæc primo intuitu speciosa videantur, penitus tamen nodum non solvunt. Primò enim cur nulla sequatur obligatio ex verbo: *satis fiet* hoc in d. Auth. rationi adscribitur generali; quod se. promissio sit impersonalis,

Distin-
guunt hic
alii ver-
ba Imper-
sonalia.

Rejicitur
illa di-
stinctio.

*Verbaq;
aliter di-
stinguun-
tur.*

nalis, cui repugnat modo allata restrictio. Deinde quoque non satis videntur præfati Doctores diversitatem verborum animadvertisse: Separare enim debuissent verba, quæ habent significationem obligativam, ab illis quæ habent executivam, De illis non poterat dubium esse, quin nihil operarentur, quorsum refero, si quis dixerit: *promittentur, constituentur decem.* Etenim hæc verba ita sunt comparata, ut si in futuro tempore proferantur, promissionem utcumque personalem infirment, veluti si quis dixerit: *Promittam, constituam tibi decem:* Adeoque probabile non est de his intelligendam esse *d. Auth.* De his verò, quæ obligationis executionem & consummationem, eoque ipsam traditionem concernunt, qualia sunt: *dabuntur, numerabuntur, satisfiet,* dubitari poterat, annon de se sensisset, qui talia protulisset: Unde de his exaudienda tantum erit dicta Authentica, utpote *Verbum:* in qua expressè continetur verbum: *satisfiet,* quod quamvis Cujac. Goedd. & Zœf. distinguant à verbis: *Dabitur, non differt solvetur,* solidam tamen differentiam rationem non adferunt, à verbis: sicuti nec adferri potest, cum & satisfactio præsupponat obligationem, nec unquam ita soleat contrahi obligatio: *dabitur, satisfiet,* verum ita: *dabitur, satisfiet,* quoniam, ut ante diximus, hæc verba non differunt obligationem, sed executionem Conf. Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. Diss. 27. tb. 2. lit. E. in fin.* Hillig. *ad Donell. Lib. 14. Cap. 36. lit. Q.*

*Utrum
constitu-
tum im-
personale
valeat,
unde judi-
candum?*

XVI. Ut ergo concludamus, optimum nobis videtur ex modo & forma, qua contrahitur constitutum, dijudicare, num illud, si impersonale sit, vitietur; an non. Cum itaque nudo pacto contrahatur, citra stipulationem §. 9. 7. *de Action.* Pacta verò & cum & sine responsione feri possint, modo si cum interrogatione fiant animus absit stipulandi, *L. juris gentium 7. §. 12. ff. de Pact.* distinguendum putamus *utrum constitutum factum sit nulla precedente interrogatione,* quemadmodum ordinariè fit, *an verò eadem prævia:* Illo casu non valet si impersonale sit, v. gr. si quis, dum audit Titium Sempronii debitorem esse, dicat: *dabitur tibi istud,*

istud debitum, vel: satisfiet tibi: incertum enim est num promissor de se senserit, an verò de Titio Debitore, de quo casu intelligenda d. *Auth. si quando;* Hoc autem casu, si quis v. g. ad factam interrogationem responderit: *satisfiet, dabitur, &c.* tenet constitutum, quantumvis impersonale: Suppletur enim tunc responsio ex præcedente interrogatione, & per interpretationem ad personalem redigitur, prout mox pluribus de impersonali stipulatione dicetur.

XVII. Utroque tamen casu ad animum insimul erit respiciendum. Animus enim Annon contrahentium, cuiusvis actus ratio est, anima & causa, adeoque imprimis attendi oportet. Aym. Cravett. *Conf. 136. n. 5.* Joh. Stuck *conf. 4. n. 42.* Hinc si in *priori casu*, ubi nulla præcesserat interrogatio, ex verbis præcedentibus constituentis, vel etiam, aliunde appareat, de se sensisse promittentem, dubio procul actione de constituta pecunia tenetur. Quid enim actum sit à contrahentibus, quæve ipsorum mens fuerit ex conjecturis in casibus dubiis est eliciendum *L. Semper 34. & L. 219. ff. de R. J. Zœl. ad ff. tit. de V. O. n. 14. in fin. Groenv. in tr. de LL. abrog. ad d. Auth. n. 4.* Quemadmodum ex diverso in *posteriori casu*, utut præcesserit interrogatio, si tamen constet promittentem non habuisse animum se obligandi & constituendi, non tenetur constituens: Quod si enim personale constitutum deficiente hoc animo non valet. arg. *L. 7. §. 12. ff. de pact. multo minus valebit impersonale.*

XVIII. Et sic, ut ad CONTRACTUS nunc deveniam, de STIPULATIONE porro erit agendum: Circa quam primò extra dubium est, omnibusque Doctoribus unanimi consensu approbatum: *Impersonalitatem ex parte Creditoris vel stipulatoris non vitare*, v. gr. si quis dixerit: *Ate nunquid dabuntur mille thaleri?* Præterquam enim, quod jura in stipulatore præsumant, quod sibi, non alii acquirere velit obligationem *L. si defunctus 10 C. Arbitr. Tutel. §. Alteri 17. §. de inut. stipul. & qui sine adjunctione nominis seu impersonaliter stipulatur, sibi videatur stipulari, per expressum textum in*

Ad animum in super re- spiciendū.

In stipulatione Impersonalitas ex parte Creditoris non vitiat.

*L. si ita stipulatus 126. §. Chryfogonus 2. in fin. ff. de V. O. cum persona extrinseca nunquam in stipulationibus subintelligatur, sed verba referantur ad personam stipulantis, d. L. 126. §. 2. in fin. ibique Gothofr. lit. m. Marc. Anton. Macerat. Variar. Resol. L. 2. Res. 11. n. 35. Joh. Franc. Andreol. Controv. For. 307. n. 7. Cujac. ad Libr. 3. Quest. Paul. Tom. 1. p. m. 622. Insuper etiam promissor eo ipso, quo ad impersonalem stipulationem se obstringendo respondet, eam ad personalem redigit & declarat se rogatum esse. Licet itaque dicam impersonaliter: *Licere habere vel uti frui*: Attamen illa impersonalitas perinde habetur ac si mea persona esset expressa, adeoque actum irritare non potest, sicut expressè deciditur in *L. Stipulatio ista 38. §. sicut 5. in fin. ff. de V. O.* quam aliàs ut obstantem una cum *L. fin. §. Labeo 1. ff. de R. C.* hoc modo explicare solent Doctores. Conf. Bald. ad *d. Auth. si quando n. 2.* Sichard. *ibid. n. 4. in fin.* Richter ad *eand. n. 13. & in Tr. de Adverb. Signif. lit. §. n. 9.* Alberic. ad *L. si pro alieno 1. C. de Const. pecun.**

An idem sit, si Impersonalitas adsit ex parte promittentis?

Negant hoc aliqui.

XIX. An idem sit si impersonalitas ex parte promittentis adsit, & an tunc quoque subsistat promissio, indeque sequatur obligatio, dubium: Maxima Doctorum, inprimis veterum pars id ipsum negat, fundamentum suæ assertionis collocans in *d. Auth. si quando*, ad quam vid Bart. Bald. Sichard. & novissimè Richter, adductis insuper his rationibus, quod in dubio non subintelligatur persona loquens *L. inquisitio 18. C. de solut.* ad hoc, ut præsumatur quod velit se obligare *L. cum de in debito 25. §. fin. ff. de Probat.* Angel. Aretin. ad *§. siue autem 1. §. de stipul. Serv.* Nec quis adeò fatuus credatur, ut contra se loquatur. Bald. ad *d. Auth. n. 3.* Quodque hoc casu adsit interrogationis, quæ personalis fuit, & responsionis, quæ impersonalis est, diversitas, quam vitare stipulationem certi juris est *L. 1. §. 3. ff. de V. O.* Præterea non possit impersonalis promittentis responsio ita declarari ex præcedenti interrogatione, uti potest interrogatio impersonalis ex subsequuta responsione, ut adeò nõ immeritò quemadmo-

admodum aliæ obscuræ responsiones, sic quoque hæc contra stipulatorem sit interpretanda, arg. *L. Veteribus 39. ff. de pact.* quippe qui eam apertiolem facere potuisset, & efficere, ut respondens impersonalitatem illam declarasset, & personam, de qua sentiret, expressisset.

XX. Quibus tamen non obstantibus, *Impersonalita-*
tem quoque ex parte promisoris non vitare stipulationem ve-
rius arbitramur: Tum quia responsio pendet ex interroga-
tione, & ex ista longè melius interpretationem capit & de-
terminatur, quam interrogatio ex responsione. *S. Præterea*
s. in fin. 7. de inutil. stipul. quo modo in simili in *L. 1. §. 2. ff.*
de O. V. valet hæc stipulatio: *Dabis? Quidni?* quod con-
gruenter satis ad interrogata responsum. *Zœl. ad ff. tit. de V.*
O. n. 13. Donell. L. 14. cap. 36. lit. Q. Tum etiam, quia Rescri-
pta ambigua declarantur ex precibus impetrantium ante-
cedentibus, *L. 1. C. de divers. Rescript.* Tum deniq; quia in
jure iudicioq; subsequuta responsio obscura & generalis ex
præcedente interrogatione temperatur *L. si sine 9. §. 5. ff. de*
interrog. in jur. fac. Quorsum pertinet exemplum quod
apud Plautum in *Pseudol. Act. 4. Scen. 6.* legitur:

Si. Nullum periculum est, quod sciam, stipularier
Ut occepisti verba, viginti minas
Dabin? Ball. Dabuntur.

XXI. Neq; tanti momenti sunt rationes in contra-
rium adductæ: Quod enim Avth. attinet, illam non proce-
dere nec loqui de stipulatione, ex antea dictis abunde con-
stat. Sicut nec id quod secundò allatum, personam loquen-
tem non subintelligi, locum habere potest, ubi præcessit in-
terrogatio personalis. Neq; diversitas hic adest, quæ vitiet
stipulationem, cum scrupulositate verborum veteri sublata
sufficiat sententiam verborum utrinq; esse congruam, licet
verba & conceptionis formula sit alia atq; alia *§. 1. in fin.*
7. de V. O. §. L. 1. §. 2. ff. Eod. Quid quod præcedens inter-
roga-

*Verior
tamen est
affirma-
tiva.*

*Refutan-
tur ratio-
nes negã-
tium.*

rogatio personalis non minus, in òdere magis possit impersonalem responsionem ad personalem redigere & incertitudinem personæ tollere, quàm subsequens responsio personalis poterat interrogationem impersonalem, uti *th. præc. dictum*: Quapropter potiori jure contra promissorem hoc casu fiet interpretatio, ne alioquin stipulatio reddatur inutilis *L. Quoties in stipulat. 80. ff. de V. O.* Nam planius dicere & debuisset & potuisset, unde si de alio, quàm de seipso senserit, sibi obscuritatem dicti imputabit.

*Differen-
tia Con-
stituti &
stipulati-
onis quo-
ad imper-
sonalita-
tem.*

XXII. Constat itaq; hinc, quod vera sit illorum sententia, qui verba impersonaliter prolata vitiare constitutum adstruunt, si nimirum sine interrogatione fuerit contractū; non etiam vitiare stipulationem: Cum enim in stipulatione respondens in continenti respondeat, facile ex interrogatione, ut supra diximus, suppleri potest præsumptione juris designatio personæ, quæ desiderari videtur in responsione; quod secus est in constituto, per *supra dicta*. Dn. Böckelman. *ad ff. tit. de const. pec. §. 8. in fin.* Quorsum spectat locus Seraphin. Olivar. Razzal. *Part. 2. Dec. 1348.* Verba impersonaliter prolata comprehendere utramq; partem, adeoq; vitiare. Et quamvis quod supra quoq; adduximus, Imperator in genere in *d. Auth.* impersonalem promissionem rejicere videatur, ex materia tamen substrata patet, intelligendū hoc de impersonali promissione absolutè tali, quæ sc. per interrogationem præcedentem non dirigitur & declaratur, siquidem responsio interrogationi applicanda, & juxta hanc explicanda est. Quam sententiam ab Alciat. *L. 2. Parerg. c. 18.* proditam originaliter olim fuisse cujusdam Christophori de Castelliano, quam sibi postea adscripsit Raphael Cum. ex Jafone *ad L. ult. §. Labeo 2. in fin. refert.* Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. D. 27. th. 2. lit. E. in fin.*

*Nihil in-
terest quo-
ad stipu-
lationem*

XXIII. Porro quoq; hoc ex antea dictis constat, non opus esse quantum ad stipulationem cum Glossatoribus distingvere: Utrum impersonalitas commissa sit in verbis obligativis & executivis simul, v. gr. *selvatur decem, dabuntur*

eur tibi mille, vel promittuntur decem dari, an in verbis executivis, utpote: *Promitto decem dari, vel promitto tibi decem, quæ tibi dabuntur*, de quo vid. Salicet. *ad d. Auth. si quando*. Ubiq; enim subsistit promissio, nec quicquam officit impersonalitas. Quod sicuti quoad priores casus ex superioribus certum, ita non minus quantum ad posteriorem valet: Executio enim ponitur in consequentiam obligationis & ideo regulatur ab ea, Bald. *ad d. Auth. n. 3. 4.* Unde in casu, ubi Dominus officiali, qui in rem Domini pecuniam mutuam acceperat, & verterat, iteris promiserat: *Das Er sich selbst bezahlen machen/ oder in Mangelung dessen in andere Wege gebühlich befriediget werden solte* / Licet non adjecerit Dominus, per quem solutio seu restitutio promissa fiat, nihil ad rhombum, quia executio fit in consequentiam obligationis & regulatur ab ea Joh. Stuck. *Conf. 19. n. 14. & 15.* Conf. Sichard. *ad d. Auth. in fin.*

XXIV. Et hæc de impersonalitate respectu promissoris dicta funto. Videndum nunc quid juris, si impersonalitas contingat respectu tertii cujusdam, utpote si quis stipuletur ab alio pecuniam dari vel solvi ei quem ipse Creditor in vita vel morte nominaverit, vel ei, cui moriens reliquerit, decedat verò postea intestatus nemine cui solutio fieret denominato? Et videri hoc casu hæredem Creditoris seu stipulatoris denominatum, adeò ut ipsi quærat actio & obligatio, deciditur in *L. Secundum 4. C. de Contrah & committ. stipul.* Quia enim omnia bona huic relinquere voluit, voluisse quoq; creditur pecuniam, de qua dicto modo stipulatio erat facta *L. Conficiuntur. 8. §. 1. ff. de jur. Codicill.* Facit ad hoc *L. si mulier 25. C. de jur. Dot.* ubi uxor dotem sibi reddi stipulata erat hoc fine ut de ea testari posset, decesserat verò intestata; & nihilominus dotem repeti posse ab hæredibus uxoris, ibidem statuitur, quia ut de dote testaretur non fuit causa finalis stipulationis, nec conditio, sed causa impulsiva tantum, quæ cessante non cessat effectus: Idem igitur de nominatione à Creditore facienda dicendum; causam tan-

D

in quibus
verbis cõ-
missa sit
imperso-
nalitas.

Quid ju-
ris si im-
personalis-
tas con-
tingat re-
spectu ter-
tii.

tum

tum impulsivam hanc fuisse, adeoq; ut facta non sit, nihilo tamen minus non impediri obligationem Debitoris quoad hæredem Creditoris, Conf. Card. Tusc. *Pract. Concl. lit. C. Concl. 141. & seqq.*

*Quatenus
tunc actio
vitiatur
vel non.*

XXV. Quod in primis procedit, si res vel pecunia, de qua stipulatio inita, talis sit, *quæ restituenda stipulatori*, ita, ut perpetuò apud hunc vel personam nominandam manere debeat: Sic enim nullo damno afficitur Debitor, cui cum simpliciter restitutio incumbat, perinde est cui restituat, cuius Exemplum in dote exhibet *L. 4. C. de Contrab. & Committ. stipul.* Secus est, si *res apud stipulatorem ad tempus mansura*, sive si aliquando ab hoc alteri sit restituenda, qualis est res conducta, vel in Emphyteusim data; Talem enim rem si quis ea lege & hac facta stipulatione acceperit, *ut pro se haberet & aliquibus personis, quas ante mortem nominaverit*, non recipiunt hæredes, si nemo fuerit nominatus, sed res ad Dominum revertitur, quia quæ in declaratione animi consistunt, ad hæredes non sunt transmissibilia, quemadmodum tradit Ant. Gomez. *Tom. 2. Variar. Resolat. Cap. 11. n. 7. vers. Quarta Conclusio.* Quæ ultima Gomez. ratio, quamvis etiam in primo casu obtinere videatur, attamen ibi nullius præjudicium vertitur; hic verò vel Locatori vel Domino Emphyteuseos, transmissio ad hæredes esset nocitura. Neq; in hoc ultimo casu, hæres tertii non nominati vicem supplere potest, cum non omnium vita ad æqualem se extendat terminum, quæ ratione obscuram Gomez. rationem *d. l. intelligo.*

Nō valet

*Emtio,
eius pre-
tium im-
persona-
liter de-
finiendū.*

XXVI. Pergendum nunc ad Contractus Consensuales, inter quos primum locum tenet EMTIO & VENDITIO. Hæc ut subsistat consensus requiritur super re & pretio, *pr. 7. de Emt. & Vendit. B. Brunnem. ad Wes. tit. de Contrab. Emt. Qu. 6.* nisi enim res adsit, quæ veneat, & pretium, quod solvatur, emtio & venditio non intelligitur, *L. 8. pr. ff. de Contrab. Emt. L. 55. ff. & L. 9. C. Eod.* Necessum autem imprimis est, ut pretium constituatur certum: cum incertum non ali-

aliter habeatur, quam si non esset §. 1. *J. Eod.* Quamvis itaq; in arbitrium tertii conferri possit, hæc tamen collatio non aliter valet, quam si tertius ille certus fuerit & pretium definierit, *d. §. 1. L. fin. C. Eod. L. si coita 75. ff. pro Socio.* Si incertus, nulla est, quæ suscipitur, venditio, *d. L. fin. C. de contr. Emt.* adeoq; & hic vitiat Impersonalitas *L. 25. pr. ff. Locat. Frantzk. ad ff. tit. de Contr. Emt. n. 260.* Unde si contrahentes inter se convenerint, quod electuri sint tertium qui inter ipsos pretium determinet, vel quod pretium declarari debeat à bono viro in genere, non facta relatione ad judicem vel aliam certam personam, nihil actum censetur, nihilq; venditum, quasi nullò pretiò statutò. Harprecht. *ad §. 1. J. de Emt. Vend.* Dn. Lauterbach. *in Compend. Jur. tit. de Contrab. Emt. Maul. in Tr. de Emt. tit. 4. n. 12.* Card. Mantic. *de tacit. & amb. convent. L. 2. tit. 1. n. 21.*

XXVII. Quæritur autem annon tunc valere possit emtio & venditio, si facta proponatur eo pretio, quantum constituturi sint duo periti eligendi, alter ab Emtore, alter à Venditore? Et superioribus consequens est, ut dicamus, eam non valere, quoniam nec hic quidem certa persona designatur, sed eadem subest incertitudo, cum etiam accidere possit, ut ipsi contrahentes in eligendo diversas sequantur vias. Vinn. *ad §. 1. J. de Emt. & Vend. n. 4.* Unde non audiendus est Fachineus *L. 2. Controv. c. 1.* qui nihil referre ait, quod hic certa persona non sit nominata, cum conventio de eligendis duobus sufficere possit, & pro eo habendum, ac si electæ sint & jam nominatæ; Etenim qualis hic certitudo? quodnam pretium? sine quo emtio stare non potest. Nec impedit *L. 16. §. fin. ff. de pignor.* Nam ibi negotium non ut emtio venditio valere, sed ex Contractu pignoris sustineri dicitur, prout illam explicat Vinn. *d. L. in fin.* In foro tamen sententiam Fachinæ esse approbatam & consuetudine hujus seculi inter Mercatores vigere, testantur Vinn. *d. l.* & Busius in *L. 1. de Permut. n. 8.* quibus calculum suum adjicit Dn. Struv. *in Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 23. th. 19.*

Quid si
eo pretio
facta,
quantum
constitue-
rint duo
periti eli-
gendi?

*Res im-
persona-
liter emta
acquiri-
tur Emē-
ti.*

*Quod li-
mitatur.*

XXVIII. Quod attinet rem emtam, illa licet jure com-
muni alienā pecuniā impersonaliter, seu non adjecta perso-
na, cui debeat acquiri, sit emta, pertinet tamen adhuc ad
Emtorem *L. Procuratoris 5. §. 17. ff. de Tribut. Act. L. 1. & pen.
C. Si quis alter.* nec quicquam acquiritur ei, cujus pecunia
est, *L. Si ex ea. 6. C. de R. V. L. Non unde 7. C. Si cert. pet.* cum
in dubio quis nomine proprio magis, quā alieno actum
gessisse præsumat *L. si ita stipulatus. 126. §. 2. in fin. ff. de
V. O. Mascard de Probat. Vol. 4. Concl. 1399. n. 1.* Singulare
duntaxat est in illis, qui ex necessitate officii rem aliquam e-
merunt quod, licet impersonaliter contraxerint, & pecunia
sua administrationi commissa rem quādam comparave-
rint, videantur tamen ejus nomine comparasse, cujus nomi-
ne comparare tenebantur *B. Brunnem. ad d. L. 6. C. de R. V.
Mascard. d. l. n. 4.* Inde Tutor, qui pecunia pupillari rem a-
liquam emit, in utilitatem & commodum pupilli emisse,
eiq; dominium acquisivisse præsimitur. *L. 2. ff. Quand. ex
fact. Tut. vel Curat. L. Lucius 46. §. 2. ff. de Administ. Tut.* Tum
quia Tutori ex officii necessitate incumbit, ut pecuniam pu-
pillarem in Emtionem prædiorum collocet, eoq; prætermis-
so, culpa non careat, *L. 5. pr. ff. Eod.* Tum quia Tutori, ne
pecunias pupilli in proprium usum convertat, legibus est in-
terdictum, *L. 46. §. 2. ff. Eod. Conf. Carpz. P. 2. C. 11. Def. 21. &
Def. 38. Struv. in Jurispr. Forens. L. 1. tit. 22. aph. 5. Conf. su-
pra th. 6.*

*In Lo-
catione
quoad
mercedē
vitiat im-
persona-
litas.*

XXIX. Quæ de Emtione & Venditione à nobis supra
dicta sunt, illa quoq; locum inveniunt in LOCATIONE,
quippe quæ simillima dicitur emtioni, & iisdem fere juris re-
gulis constare *in pr. I. de Locat. Conduct.* Et hic ergo imperso-
nalitas circa mercedis constitutionem vitiat, utpote si quis
dixerit: *Fandus hic tanti locatus tibi esto quanti alii estima-
verint:* Unde Cajus *in L. Si merces 25. pr. ff. Locat. Cond.* in-
quit: Si merces promissa sit generaliter alieno arbitrio, Lo-
catio & Conductio contrahi non videtur. Quod ipsum
cum

cum ex antea dictis satis clarè constet, nec difficultate aliqua laboret, pluribus exponere supersedeo.

XXX. Ad MANDATUM progredior, quod etiam non raro impersonaliter concipitur, uti patet ex §. 6. I. Mandat. utpote si quis tibi mandet, ut pecunias in emtiones potius prædiorum colloques, quam fœnores, vel ex diverso ut pecunias tuas fœnores potius, quam in emtionem prædiorum colloques. Etenim, cui quis pecuniam credere debeat his casibus expressum non est, adeoq; respectu illius tertii adest impersonalitas, quâ non obstante utrum mandans obligetur non incommodè hîc quæritur? Et cum hujus generis mandatum magis consilium sit, quam mandatum, eum non obligari deciditur in d. §. 6. Tota enim res arbitrio consultoris hîc relinquitur, etiam id, cui pecuniam credat, ob quod si minus idoneo crediderit, de se quæri, sibiq; hoc imputare debet, quia explorare apud se debuisset, an sibi expediret consilium & quatenus d. §. 6. Add. C. Nullus ex consilio 62. de R. J. in 6. L. 2. ff. §. fin. Mand. Frantzk. Exerc. 11. ad inst. Qu. 6. n. 9.

Non tene-
tur Man-
dati qui
imperso-
nalis est
consul-
it?

XXXI. Aliud obtinet, si quis in favorem certi alicujus tertii consilium dederit: Hoc enim casu vim mandati habere placet, præprimis si ille qui consilium secutus est, alioquin id non fuisset facturus d. §. 6. J. de Mandat. Dn. D. Stryk. in Annot. ibid. Nam videtur tunc consulens fidem suam pro persona designata interposuisse, alter verò, qui credidit pecuniam, fidem hanc respexisse. Itaq; si cum v. gr. Titius pecuniam mutuam à me peteret, aut pro alio petente fidem suam offerret, nollem autem aut Debitorem eum habere aut fidejussorem, quod suspectæ mihi essent facultates ejus, tu consulisti & hortatus es ut facerem, idoneum eum esse affirmans, hoc consilium tuum instar mandati est, atq; ex eo, si quid secus mihi evenerit, tenerite est æquissimum, propterea, quod tuam hortantis & svadentis fidem secutus sum omnino, teq; svasore & impulsore feci, quod aliàs nunquam fesissem Vinn. in Comment. Inst. ad d. §. 6. n. 4. Conf.

Secus si
certam
personam
suggesse-
rit.

30 CAP. III. DE JURE IMPERSONALIUM

Dn. Lauterbach. *Disp. d. Consiliis* quæ extat in *Vol. 1. Disp. Tu-
bing.* Quid de consilio fraudulento juris, docebit *Cap. ult.*

*Quid o-
perentur
verba:
Allen ge-
treue die-
ses Brief-
fes Inhas-
bern.*

XXXII. Restat ut de verbis Impersonalibus, *Allen ge-
treuen dieses Brieffes Inhabern* / quæ sapissimè instrumentis,
quibus actus inter vivos probantur, inseri solent, subjicia-
mus, quid illa operentur? Et quamvis videri posset acsi his
adjectis non esset locus Exceptioni legitimationis aduersus
illum, qui ejusmodi instrumento in judicio utitur, præpri-
mis cum generalis hæc sit clausula, quæ procul dubio ad
producentem quoq; pertinet, nec possit dici quod hic non sit
in instrumento nominatus, arg. *L. Juliano 68. pr. ff. de Le-
gat. 3. L. Pediculis 32. §. 6. ff. de Aur. & Argent. legat;* quia
tamen nondum constat, an qui tale instrumentum profert
fidelis sit possessor, non immeritò hujus probatio ipsi incum-
bet. Vid. *L. 21. C. de probat.* Producet ergò vel instrumen-
tum cessionis, vel per Testes, qui negotio interfuerunt, ces-
sionem probabit, de quo pluribus B. Brunneman. *in Tr. de
Cess. Action, Cap. 5. n. 68.* Excell. Dn. D. Stryk. *in Notat. ad B.
Brunnem. Process. Concurf. Credit. Cap. 3. §. 3.*

CAP. III.

De

JURE IMPERSONALIUM
CIRCA ULTIMAS VO-
LUNTATES.

I.

*Imperfo-
narium
quandog
ratio in
testamen-
tis habe-
tur.*

TRansitum nunc facimus ad ultimas voluntates, in
quibus licet rarius videatur occurrere quæstio de
impersonalitate cum certum debeat esse consilium
testantis, uti inquit Ulpian. *in Fragm. Instit. tit.
22. §. incerta.* & speciem quandam dementiæ habeat, bona
quæ

quæ magno & indefesso saepe labore quæsitæ, ita impersonaliter relinquere velle Hill. *ad Donell. Libr. 6. Cap. 17.* quia tamen nonnunquam contingit, ut libertate supremæ voluntatis, de qua *in L. Habeat 1. C. de SS. Eccl.* abutantur homines, quandoq; etiam præter intentionem verbis nimium generalibus utantur, ex quibus post mortem, quis hæres esse debeat, cuius quid relictum, vix satis idonea conjectura capi possit, in specie subjiciendum, quid his in casibus jure nostro obtineat.

II. Ut autem ab HÆREDIS INSTITUTIONE, quæ *Impersonalis institutio non valet* caput est & fundamentum totius testamenti *S. Ante 35. ff. de Legat. & sine qua nullum testamentum est & invalidum L. Proximè 3. S. Sententia. ff. de his quæ in Testam. del.* Initium capiamus, illa regulariter impersonalis esse nequit *L. Quoties 9. S. 9. ff. de Hæred. instit. L. 62. S. 1 ff. Eod.* Joh. del Castill. *de Conject. ult. vol. Cap. 34. n. 10.* V. gr. si quis ita dixerit: *Quisquis primus ad funus meum venerit illum hæredem instituo.* Ulipan. *d. t. 22. S. 4.* Neq; enim potest testamentum videri, quod ex certo testatoris consilio non proficiscitur *arg. pr. ff. de Testam. Franc. Duaren. ad tit. de Hæred. instit. Cap. 2. S. Cœpimus ostendere* neq; valere, in quo nomen hæredis vel ab ipso testatore *L. 19. S. 21. C. de Testam.* vel ab eo qui scripsit Testamentum *Nov. 119. cap. 9.* non est expressum *Carpz. P. 3. C. 3. Def. 1. in fin.*

III. Ex quo infert Modestinus *in d. L. 62. S. 1. ff. de Hæred. instit.* non valere institutionem, si testator, qui plures ejusdem nominis habuit, amicos qui v. gr. omnes Johannes vel Petri aut Pauli vocarentur, singulari tantum nomine fuerit in Testamento usus, dicendo: *Johannes amicus meus, mihi hæres esto:* Etenim incertum hoc casu est, de quo senserit Testator, adeoq; probatio deficit *L. duo sunt Titii 30. ff. de Testam. Tut.* Et quamvis nulla subesse videatur impersonalitas, cum persona aliqua sit expressa & nomine designata, quia tamen nomen istud pluribus commune est, & ob id incerta persona, quæ Testator animo suo subjecit, non immerito

Quid si plures hæredes ejusdem nominis.

ritò

ritò impersonalis nobis dicitur institutio, & per consequens invalida, cum quæ in Testamento ita scripta sunt, perinde sint, ac si penitus non essent scripta *L. Quo tutela 73. §. 3. ff. de R. 7.* Nisi unum à testatore altero magis dilectum probari possit *Bartol. in d. L. duo sunt Titii.* Simon de Præcis *de interp. ultim. volunt. lib. 1. interp. 2. Dub. 2. Solut. 5. n. 32.* De quo infra dicendum *tb. X.*

Persona haredis à exprimi possit per tertium. IV. Huc pertinet casus si quis dixerit: *Illos haredes instituo quos Titius designaverit;* nec enim hæc institutio valet, tum quia impersonalis est, tum etiam quia substantia dispositionis in alterius confertur arbitrium; testamentorum verò jura per se firma esse oportet, non ex alieno pendere, arbitrio *L. illa institutio 32. ff. de Hared. instit.* incertum enim hoc casu est consilium testatoris, quod tamen certum esse debebat, teste *Ulpian. in fragm. instit. tit. 22. §. incerta.* Harpr. *ad pr. 7. de Testam. Ordin. n. 48. seqq.* Mantic. *de conject. ult. vol. P. 4. tit. 3.*

Casus. V. Cœterum an ita penitus non admittatur arbitrium tertii ad excludendam impersonalitatē, disquiritur. Ansam suppeditat casus hoc ipso mense Amplissimæ Facultati juridicæ in hac Academia oblatus, ubi maritus hæc ratione condiderat testamentum: *Zu meinen Erben setze ich ein von meiner Schwester Töchtern dieselbe welche meine Frau von denen selben dazu erwählen wird.* Ubi disputatum an subsistat hæc dispositio. Pro negativa pugnat generalitas *L. 32. pr. ff. de Hared. instit.* ubi in tertii arbitrium conferri voluntas ultima non debet, quod tamen fieret, si uxori electio relicta, quam velit esse hæredem. Attamen speciale esse putamus in arbitrio tertii non vago, sed ab ipso testatore ad certas personas restricto. Nam sicuti olim incertæ personæ legari non poterat, bene tamen poterat ex certis incertæ: *E. G. cognatis meis qui nunc sunt, si quis filiam meam duxerit, illi hæres illam rem dato §. incertis 25. 7. de Legat.* Ita sine dubio & illam hæredis institutionem validam fuisse credimus. Quod si ergo arbitrium tertii quoq; pariter à testatore ad certas per-

Deciditur.

personas restringatur, validam putamus dispositionem; *Pro Probatur*
 qua sententia est text. in *L. utrum. 7. §. 1. ff. de Reb. dub.* ex
 qua hanc rationem deduco, quod sic non sit in arbitrio alte-
 rius, an velit hæredem eligere, sed quem velit. Et ita in
 Hispania sæpe uxori potestatem relinqui, unum ex filiis me-
 liorandi (præcipuum aliquid dandi) testis est Didac. Covar-
 ruv. *ad C. cum tibi. 13. n. 14. X. de Testam.* Mantz. *de Testam.*
Valid. tit. 6. qv. 24. n. 6.

VI. Hac occasione verò disquiri poterat, annon jura *Quid de*
 illa Civilia, quæ impersonalem hæredis institutionem negant *jure Ca-*
 valere, etiamsi collatio facta in arbitrium tertii, jure Cano- *nonico.*
 nico sint mutata? Quod mox affirmandum videtur, propter
 claram Pontificis sanctionem in *C. cum tibi. 13. X. de Testam.*
 ubi intestatus decedere non dicitur, qui extremam volunta-
 tem in alterius dispositionem confert. Verum quia in du-
 bio inter jus civile & Canonicum non statuenda differentia;
 nec credendum, Pontificem promiscue tertio arbitrium no-
 minandi hæredem contulisse, restringendum illud Capitu-
 lum putamus ad piam causam, quod hujus favore arbitrium
 tertii admittatur, quem sensum capit. pleriq; Dd. agnoscunt.
 Tiraqvell. *Privil. pie causæ 64.* Alciat. *Lib. 2. Parerg. c. 31.* Va-
 lasc. *Consult. 68. n. 4.* Barbof. *ad d. c. 13. n. 2.*

VII. De incertis personis hic prolixa differendi occa- *De perso-*
 sio esset, quas olim legati & hæreditatis penitus incapaces *na incer-*
 fuisse, nisi ex certis personis incerta esset instituta, apparet *ta hare-*
 ex *§. incertis 25. §. de Legat.* Cum quo conspirat Paul. *lib. 3. dis.*
sent. tit 7. Legatum nisi certæ rei sit aut ad certam perso-
 nam deferatur, nullius est momenti. Imperator verò Justi-
 nianus postea in *§. 27. §. d. t.* id emendandum credidit, &
 incertitudinem admisit non tantum in Legatis sed & hæredi-
 tatibus (licet *d. §. 27.* ad legata posthumo alieno relicta re-
 stringere velit Hillig. in *Donell. lib. 6. cap. 17. tit. X.*) modo il-
 la impersonalitas seu personæ incertitudo tolli ex eventu pos-
 sit, quorsum pertinet tit. *Cod. de incertis personis*, cujus sola
 rubrica tantum Authentica est, nigrum verò non æqvè, cum

E

Con-

Constitutio Justiniani de incertis personis promulgata, non amplius extet. Vid. Dn. Strauch. *Special. Dissertat. de pers. incert.* ad quem brevitatis amore me remitto. Reliquiæ quidem juris veteris adhuc superesse videntur in *L. 24. C. de Episc. & Cler. & in L. Videlicet 9. §. 9. ff. de Hæred. instit.* sed ad hos textus respondet Ludvvell. *Tr. de ult. vol. P. 2. Cap. 2.*

pag. 253.

Imperso-
nalitas
captato-
ria.

II. IX. Ex superioribus facile patescit, quid sentiendum sit de hac institutione, si testator scripserit: *quisquis me ex aliqua parte hæredem instituerit, eum mihi quoque hæredem volo*, quamvis enim hoc ex eventu forte certum fieri possit, attamen nihilominus impersonalis hæc institutio non valet; Nihil enim operabitur certitudo superveniens, cum etiam si certam personam expressisset, non subsisteret institutio tanquam *LL. adversa*, quia inducit votum captandæ hæreditatis alienæ, *L. Captatorias 70. ff. de Hæred. instit. & L. 64. ff. de Leg. 1.* dum testator quasi in hamo suam hæreditatem defert, ut allecitet alienam Vinn. *ad §. 9. 7. de hæred. instit.* Harpr. *d. l. n. 51. Dauth. de Testam. n. 26. seqq.*

Quid si
ex conje-
cturis de
persona
constet.

IX. Hoc ergo certum ex antecedentibus; non obsta-
re impersonalitem in hæredis institutione modo vel ex e-
ventu vel ex aliis conjecturis haud obscure constet, de qua
persona senserit testator *L. 62. §. 1. in fin. ff. de Hæred. instit.*
Menoch. *de Presumpt. L. 4. Pres. 25. n. 8.* Sic enim cessante
impersonalitate cessat quoque vitium institutionis arg. *L. A-
digere 6. §. 2. ff. de Jur. Patron.* sic toleratur institutio imper-
sonalis quæ se refert ad aliam scripturam in qua persona hæ-
redis denominata, veluti: *Quemcumque in Codicillis hæredem
scripsero, hic hæres esto*, quod Exemplum traditur in *L. Asse-
toto 77. ff. de Hæred. instit.* quale testamentum implicitum
Dd. vocare solent. Huc trahi poterit si quis propinquos suos
instituerit non facta mentione certarum personarum, sed
impersonaliter seu sub notione generali, quæ institutio va-
let; utut enim sciri nequeat de qua persona testator senserit,
corrigi tamen hæc impersonalitas poterit, & ex conjectura
volun-

voluntatis testatoris ad certam personam reduci, ut qui proximi sunt gradu, intelligantur instituti, in dubio enim vocati censentur in testamento qui sunt successuri ab intestato cum pro his militet voluntas testatoris cujus verba debent referri ad intellectum juris communis Dauth. *de testam.* n. 328. jus commune autem eos præfert, qui sunt proximi gradu.

X. Sed quid si dixerit testator; *Cognatus meus hæres* Si cognatus institutus sine expressio-
esto, pluresq; habuerit ejusdē gradus & vinculi, annon ulla ratione hæc impersonalitas ad personalitatem reduci possit? Et evanescere videtur institutio ob incertitudinem, cum certa in hærede designando opus sit demonstratione *L. 9. §. 9. ne certæ ff. de Hæred. instit.* Et si non valet institutio ubi duo ejusdem nominis *arg. L. Duo sunt Titii 30. ff. de Testam. tut.* quomodo valeret si plures ejusdem cognationis sint & gradus. Putarem tamen si demonstrari possit, quod unum ex cognatis præ reliquis omnibus dilexerit testator, quod inter alia ex frequentiori conversatione & familiaritate colligi solet; Magis enim diligimus cum quibus frequens nobis usus intercedit *L. 19. pr. ff. de Castr. pecul. L. Cum allegas 4. C. Eod.* Simon de Prætis. *de Interp. ult. vol. Lib. 1. interp. 2. dubit. 2. Solut. 3. n. 24.* hunc propter majorem dilectionem esse præferendum, & ita eum præsumi hæredem esse institutum Bartol. *in L. Duo sunt Titii 30. ff. de Testam. Tut.* Simon. de Præt. *d. l. Solut. 5. n. 32.* Et quamvis alii hoc casu inter plures cognatos, illum præferre velint, qui major natu est, quod ad hunc præcipuè videatur respexisse testator, Ludov. Molin. *de primogenit. lib. 1. Cap. 1. n. 34.* Vincent. Fusar. *de Substitut. Qv. 356. n. 5.* Menoch. *Consil. 713. n. 1. seqq.* Sola ætas tamen hoc casu evidentem conjecturam non operatur; Cum dilectio & affectio æquè facile cadat in cognatum juniorem quam senioem.

XI. Favore quoq; piæ causæ sustinetur institutio si quis impersonaliter pauperes instituerit; Lex enim hanc institutionem valere voluit, & deferretur hæc hæreditas iis qui sunt pia causa
 E 2 in sustinetur

*Quid si
distribu-
tio bono-
rum com-
missa.*

in loco domicilii testatoris, quod si pluribus locis domici-
lium habeat, locus habitationis præfertur Dauth. *d. l.* Et
ad hanc quoque; piam causam præsumtio ex majore dilectio-
ne extendi solet; ut inde si testator alicui commiserit distri-
butionem bonorum suorum post mortem, nec expresserit,
inter quos distribui illa bona debeant, nec liberos, inter quos
distribui possint, reliquerit, tunc ad piam causam distribu-
tionem fieri debere statuunt. Anton. Gabriel. *Commun. Con-
clus. Rubric. de Pia causa Concl. 3. n. 2.* Quo casu & ipse di-
stributor si valde pauper sit, partem capere posset. Vid. Less.
Lib. 2. cap. 14. dub. 6. n. 42. Cæterum an in tali casu dubio
potior piæ causæ, quam liberorum habenda ratio, prolixè
inquirunt Dd. apud Tiraquell. *ad L. 8. C. de Revoc. Donat.
Verb. libertis. n. 83.* Cardin. Mantic. *de Conject. ult. Volunt.*
Verùm latitat in illa disquisitione error Pontificiorum solen-
nis, quando ad pias causas relicta, animæ causa relicta di-
cunt, & profectura ad remissionem peccatorum *C. Requisiti
X. de Testam. C. animæ defunctorum C. 13. qv. i.* quod suppo-
situm quia dudum à nostratibus explosum, facile corrumpunt
rationes illorum, qui liberos piæ causæ postponunt.

*De substi-
tutione
Imperso-
nali.*

XII. Institutionem excipit substitutio, quæ est secun-
di vel ulterioris hæredis institutio *L. 1. ff. de Vulg. substit.* ut
adeò idem de hac dicendum, quod de institutione diximus;
quod si ergò testator dixerit filio meo si intra pæbertatem
decesserit, substituo eum qui primus de Tuscia venerit, non
valebit hæc substitutio, quia pater non sibi sed alteri prospic-
cit; inconueniens autem videtur, incerto eventui hæredi-
tatem alienam committere, & cum sibi ipsi non possit hære-
dem impersonaliter scribere, multo minus poterit filio,
quamvis hæc ita ut supra, temperanda sint, nisi scilicet, hæc
impersonalitas ad certam personam reduci possit, & aliqua
ratio justa adsit, quare ad hunc eventum respexerit testator
Eman. Cost. *Repetit. in c. si pater de testam. verb. pauperes.*

*De Lega-
to Imper-
sonali.*

XIII. Testamentis plerumque; accedunt legata, est au-
tem legatum donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede
præ-

præstanda §. 1. I. de Legat. pro quo consequendo variæ dantur actiones legatario, quod quidem dubium non habet si certum sit cui & à quo præstari debeat legatum; Sed quid si impersonaliter fuerit relictum? Distingvendum putò aut impersonalitas est ex parte ejus qui præstare debet, v. gr. si dixerit. *dabuntur vel solventur Titio decem*, quo casu non vitiat impersonalitas, quamvis enim non adjiciatur quis præstare debeat, onus tamen hoc intelligitur hæredi injunctum, quia testator in dubio eum gravare voluisse censendus quem honoravit, Alex. in L. *Stipulatio §. si quis ita. ff. de V. O.* & deinde qui sentit commodum debet etiam sentire incommodum L. 10. ff. de R. I. Aut impersonalitas est ex parte Legatarii, & tunc in genere tenendum eam omnino Legatum vitare, verba enim LL. XII. Tab. *uti quisq; legasset*, ita veteres interpretati sunt; uti quisq; certo consilio & solido judicio statuerit, vagum enim consilium, seu quod in nullam certam personam directum, penitus exulare volebant Vinn. ad §. 25. 3. de Legat. Hoc tamen ita temperandum, nisi ex quibusdam indiciis & conjecturis appareat de qua persona testator senserit, unde si sic legaverit: *Quicumq; testamentum meum obsignaverint eis 100. lego*, nam & hoc legatum impersonale est, cum verba non dirigantur in certam personam, sed valere deciditur in L. 14. ff. de Reb. dub. nam & hic ante mortem testatoris adhuc, quo tempore solennia peraguntur, sciri poterit, de qua persona senserit. Vinn. d. l. Simile Exemplum occurrit in L. 5. ff. de Reb. dub. ubi proponitur Legatum à quodam relegato his verbis relictum: *Quisquis mihi restitutionem impetraverit ei centum lego*, & valere deciditur in d. l.

XIV. Quod si testator gravet hæredem, ut det aliquid post mortem Titii, sine expressione certæ personæ, cui hoc debeat præstare, non videbatur valere legatum, cum hæc impersonalitas ad certam personam non possit reduci, pro qua enim persona hic præsumeretur? sed rectè hoc casu pro hærede Titii præsumitur, ut illi hoc legatum acquiratur quia

Distingvitur.

Quid si hæres jussus dare impersonaliter.

ejus nomen pro expresso habendum *arg. L. 24. ff. de Reb. dub.* quæ enim post mortem alicujus præstanda hæredi præstanda, nisi aliud expressum, ut adeò hæc impersonalitas ex conjectura voluntatis corrigi possit. *Mantic. de conject. ult. volunt. L. 8. tit. 4. n. 19.* quod si non addidisset, post mortem Titii, piæ causæ hoc legatum assignari posset per illa quæ adduximus in *tb. XI.*

De uno servo ex pluribus legato. XV. Alius casus est, si testator ita leget: *Ex servis meis quos plures habeo, unum ab hærede meo manumitti volo,* nam & hoc impersonale legatum est, cum non exprimitur, quis eorum manumitti debeat, ideoq; non valet hoc legatum *L. 27. ff. de Reb. dub.* ratio in hoc consistit, quia omnino sciri nequit, de quo servo testator senserit, & sic contingeret, ut hæres cum forte manumitteret, quem testator liberum esse noluerit, nisi tales circumstantiæ concurrant, quæ hanc impersonalitem ad certam personam reducant. B. Dn. Brunnem. *in Comment. ff. ad d. L. 27.*

De legato Ecclesiæ nō nominatæ relicto. XVI. Jam paucis videndum de legato Ecclesiæ relicto impersonaliter; quamvis verò, ut hoc præmoneam, Ecclesiæ & reliquæ universitates sub appellatione personæ propriè non veniant, uti diximus *Cap. 1. tb. 6.* quia tamen in quibusdam jura personarum his quoq; applicantur unde etiam Universitas reputatur *ὡς μανροχρόνιος ἀνθρώπος* Gothofr. *ad L. 56. ff. de Usufruct. L. 23. C. de SS. Eccl.* verbum quoq; *Impersonalis* in latiore quodam sensu huc trahi potest, quando quærimus de Legato sine ulla Ecclesiæ certæ mentione relicto, quale legatum omnino valebit, quamvis enim non valeat ita facta datio libertatis, quæ tamen omnibus rebus favorabilior dicitur in *L. 122. ff. de R. I. piæq; causæ comparatur c. ult. de Re judic.* & quia argumentum à libertate ad piam causam validum est. Everhard. *Topic. Legal. Re-*ctius tamen his non obstantibus pro legato pronunciamus, quia cuiuscumq; tandem Ecclesiæ hoc legatum præstetur, nihil fit contra voluntatem testatoris, cui ergo præstabitur? Resp. quidam Romanæ, quia hæc excellentior *arg. §. 2. I. de jur. nat.*

Deciditur.

nat. Gent. & Civ. ubi dicitur, quod quoties jus aliquod allegatur, nec additur nomen, intelligatur jus civile Romanum tanquam excellentius & præstantius; Sed melius sentiunt qui illi Ecclesiæ assignant, quæ est in loco domicilii testatoris, & quidem si plures sint, pauperiori. *Mant. l. 8. th. 5.* in dubio enim illam Ecclesiam elegisse videtur testator, erga quam liberalis charitatis opus exerceret *Barbos. ad c. 4. X. de testam. n. 5.* Excell. *Dn. D. Stryk. not. ad Brunnem. jus Eccles. L. 2. c. 12. §. 14.* Quod si testator alibi habitaverit tempore conditi testamenti, alibi tempore mortis, priori adhuc deberi putant *arg. L. 19. ff. de Reb. dub.* sed posteriori adjudicat *Mant. d. l. ego pariter pro pauperiore pronuntiarem.*

XVII. Progredimur nunc ad solenne illud legatum pauperibus relictum, quibus multa concessa contra jus commune vulgo notum, de quibus *Benincos. in tr. special. de jur. paupert.* nobis in præsens sufficiet, si specialia quædam, quæ de legato pauperibus impersonaliter relicto passim tradunt *Dd. paucis examinemus.* Initio autem hoc statim præsupponimus valere omnino tale legatum impersonale pauperibus relictum propter *L. 24. pr. & L. 49. C. de Episc. & Cler.* *Mench. Libr. 4. Pras. 25. n. 4.* ratio consistit in favore piæ causæ, quæ, licet persona nulla sit expressa, facit, ut jus & nomen hæredis tribuatur pauperum administratoribus, uti inquit *Gothofred. ad d. L. 49.* favor enim piæ causæ maximus est, & parum interest in quos pauperes impendatur, modo in pauperes. *Mantz. de Testam. Valid Tit. 6. qu. 17. n. 88.*

XIX. Ne verò absurdum videatur tale legatum, cum omnino constare nequeat, de quibus testator senserit, paucis sciendum, iis hoc legatum deberi, pro quibus militat præsumta voluntas testatoris, uti hoc in casu militat pro *Xenodochio* illius loci, ubi testator vixit, qui his potius quam aliis prospicere voluisse præsumitur, quod si plura sint eo in loco hospitalia, debetur pauperiori, si nullum adsit, Episcopus ejus loci capiet, qui hoc legatum mendicantibus vel sustentatione egentibus distribuat *Mantz. de Testam. Tit. VI. qu. 7. n. 10.*

Impersonale legatum pauperibus relictum.

Qui pauperes intelligantur.

De Episcopo tribuente. n. 10. Qua occasione quaestionem movet Mantic. *de conjecl. ult. volunt. l. 8. tit. 5.* an Episcopus, qui hoc ita distribuit, etiam filio suo spurio de eo legato aliquid dare possit? & affirm. quamvis enim spurius ex bonis patris nihil capiat, nil tamen prohibet, quominus hic participet, cum non ex bonis patris sed alterius beneficio accipiat, modo pauper sit cui aliunde bona ad alimenta non sufficiant. Extenditur validitas legati pauperibus relictis ut valeat etiam si testator ita legaverit, *tribus pauperibus vel pauperrimis 100. lego*, & Antistitis vel Episcopi erit cognoscere & judicare quinam pro pauperrimis communi opinione habeantur *d. L. 49. §. 5. C. de Episc. & Cler.* Episcopis enim, etiam si id non ordinasset testator, ipso jure incumbit executio, vid. Excell. Dn. D. Stryk. *in not. ad jus Eccles. Brunnem. L. 2. c. 12. n. 50.*

Quid de pauperrimis.

Legatum pauperibus an uni possit solvi.

Si cognatis pauperibus quid legatum.

XIX. An autem tale legatum impersonaliter relictum uni dari possit, quaestio est alterius indaginis; quam plerique negant, alii distinguunt inter legatum modicæ & magnæ quantitatis, illud in unum conferri potest, non hoc, quia testator pauperum inopiam sublevare, non ex pauperibus divites reddere voluisse praesumitur, vid. lat. explic. Bachov. *in not. ad Treutl. Vol. 2. Diss. 13. lit. C. Harpr. ad §. 25. 7. de Legat. n. 5.* Quamvis pro negativa militet praesumpta voluntas testatoris, qui dum pauperibus legat, hoc in unum conferri voluisse non censetur. Mynsing. *cent. 5. Obs. 67. Paul de Castr. conf. 336.* nos multum hic arbitrio judicis tribuimus.

XX. Restat adhuc casus, quo testator ita legat, *cognatis meis pauperibus centum lego*, difficultas hujus in eo consistit, quod sciri nequeat, quis pauper sit dicendus, cum regulariter nemo; neque pauper neque dives praesumatur, divitiæ enim & paupertas accidentia sunt, accidentia vero regulariter non praesumuntur; Sed ab allegante probanda Harpr. *ad §. 6. l. de Excusat. Tut.* unde alii hinc arbitrio judicis locum faciunt. Nos cum Carpz. *P. 3. C. 13. Def. 31.* eum hoc casu pauperem dicimus, qui propria bona mobilia vel immobilia non possidet, sed operis manualibus se sustentare, neces-

necessum habet. Cravett. *conf. 199. n. 8.* Lauterbach, *in Compend. jur. tit. de Legat. lit. S.*

XXI. Porro valet legatum his verbis conceptum *Titio lego servum*, quod legatum utiq; impersonale cum non exprimat quem velit legatario præstari; electio verò hoc casu erit legatarii nisi testator electionem hæredi permiserit *L. 20. L. 108. ff. de Legat. 2.* olim differentia erat inter legatum vindicationis & damnationis, sed hæc ne à scopo nimium aberremus mittimus, *conf. Vinn. ad §. 22. §. de Legat. Harpr. ibid.*

De Legato servi generali.

XXII. Idem juris est si testator ita leget, *servus meus si 100. dederit liber erit*, ut ut enim non adjiciatur cui dare debeat, valet tamen, & servus hæredi prædictam summam exsolvendo libertatem consequitur, uti hoc deciditur in *L. 8. ff. de statu lib.* Ratio hujus videtur in hoc consistere quod hæredis persona semper pro expressa habenda sicut in onere, de quo *supr. dict.* sic etiam in commodo, *conf. L. 22. pr. ff. eod.*

De libertate impersonali

XXIII. Sequuntur fideicommissa, quæ pari modo impersonaliter respuunt, unde si quis ita disposuerit: *Titio lego 100. & rogo Titium*, ut ex cognatis meis cui volet 50. restituat, non valere videbatur, cum non liceat substantiam dispositionis in alterius arbitrium conferre, sed contrarium traditur in *L. 21. ff. de statu lib. & L. 24. ff. de Leg. 2. L. 7. §. 1. ff. de Reb. dub.* quia hoc legatum non absolute impersonale, sed certæ personæ nominatæ, ex quibus legatarius quasdam eligere debeat, qui etiam indignum eligere poterit si electio simpliciter permissa, secus si additum ut dignum elegat si neminem elegerit, omnibus debetur:

De fideicommissio impersonali.

XXIV. Sed quid si hæres fideicommissio gravatus & plane non additum, in cujus favorem hoc fideicommissum relictum, e. g. *Titius hæres esto, & volo ut bona ad ipsum à me profecta, perpetuo fideicommissi nexu sint affecta.* Et tale fideicommissum ob impersonaliter inutile esse tradit. *Mantic. de conject. ult. volunt. l. 8. tit. 4. n. 1. seqq.* Verum non puto hic subesse magnam incertitudinem; *Qui enim*

De fideicommissio nemini relicto.

82 CAP. III. DE JURE IMPERSONALIUM

enim simpliciter vult, bona debere esse fideicommissis obnoxia, ille vult ne alienentur vel, in extraneum transferantur, quæ ordinaria fideicommissorum indoles est; quod si alienari non debeant, in familia hæredis maneat necessum est ut sic omnino hæredis hæredes ab intestato à testatore ad fideicommissum vocati censeantur. Peregrin. *de fideicommissis. Artic. 5. n. 10.* Menoch. *consil. 434.*

De Tutore imper-sonaliter dato.

XXV. Solent etiam parentes liberis suis testamento Tutores constituere, ubi verba impersonalia omnino vitiant Tutoris dationem per §. 27. *f. de Leg.* Ratio ibi subjecta: quia certo iudicio debet quis pro Tutela suæ posteritati cavere *L. 20. ff. de Testam. Tut. Wes. ad d. §. 27. n. 7.* interest enim pupilli ne ignoti, de quorum fide, diligentia & moribus testatori constare non potuit, ad tutelam admittantur, maximè sine satisfactione à qua tutores testamentarii sunt immunes. Vinn. *ad d. §. 27. in fin.*

De pupillo.

XXVI. Et hæc impersonalia verba sint ex parte Tutoris, quod si verò impersonalitas sit ex parte pupilli v. g. si dixerit: *Titius tutor esto filio illi aut illi* qui casus recensentur in *L. 23. ff. de testam. tut.* Dn. Brunnem. *in Comm. ff. ad d. L. & valet hæc Tutoris datio, ita ut utriq; datus censeatur, cum particula aut hic accipiatur pro Et L. 4. C. de V. S.* Sed si ita dixerit, *Titius tutor esto utri eorum volet* non valet Tutoris datio propter *d. L. 23. ff. de Testam. tut. Wesenb. ad ff. d. t. lb. 10.*

CAP. IV.

De

JURE IMPERSONALIUM
CIRCA DELICTA ET
PROCESSUM.

I.

Connexio **E**xposuimus hucusq; actus impersonales viventium pariter

CIRCA DELICTA ET PROCESSUM. 83

riter & morientium, quatenus illa in delictum non degenerant. Restat ergo ut facta quoque illicita seu LL. adversa videamus. Delicta indigitamus, quibus postea, quid in Processu vel Criminali vel civili circa impersonalia juris sit, paucis subjiciemus. Inter delicta verò primo loco se sistit furtum, quod regulariter certæ personæ factum esse debuit. Est enim furtum possessionis interversio *L. 1. §. 3. ff. de furt. L. 1. §. 1. ff. si quis testam. lib. esse jus.* Ex quo illud est, quod hæreditati jacenti proprie furtum non fiat, cum non adsit persona possidens cui furtum factum, *d. L. 1. §. 15. ff. si quis testam. 7. 68. ff. de furt. unde extraordinarium expilatæ hæreditatis judiciū hoc nomine proditum, L. 2. ff. de Expil. her.*

*Furtum
nō datur
imperso-
nale.*

II. Qua occasione disquiritur, si fur tandem fateatur has vel illas res furto esse subtractas, possessorem autem cui easdem res subtraxerit, nominare non possit, an locus sit suspendio præsertim si furtum triplicatum confessus? Et notum in Criminalibus est non locum esse pœnæ capitali, nisi de corpore delicti sufficienter antea constet, ad quod sola confessio non sufficit, *arg. L. 1. §. item illud ff. ad SC. Syllan. Carpzov. P. 4. Const. 33. Def. 1. Farinac. Oper. Criminal. Q. 2. n. 1. seqq.* Corpus verò delicti in furto in eo consistit, ut adsit certa persona cui furtum factum sit, quod Carol. V. in *Const. Crim. Art. 161.* vocat, *dse gegründete Erfahrung der Warheit* unde quamvis fur, etiam personam, cui furtum fecerit, nominet, si tamen facta inquisitione, illa persona se furtum passam esse neget, pœna laquei locum habere nequit. Carpz. *d. C. 33. d. 1.*

*Quid si
fur perso-
nam cui
subtraxe-
rit nomi-
nare ne-
queat?*

III. Pertinet huc casus de sacculariis pessimum illud & societati humanæ quàm maximè nocivum hominum genus, qui furandi studium tanquam artem exercent. Steph. Forcat. *Dial. 28. n. 4.* cum tanta agilitate nummos subtrahere valeant, ut credas omne ipsis ingenium in digitos abiisse Anton. Matthæi *de Criminibus lib. 27. tit. 11. n. 3.* Hos ipsos tandem deprehensos ex illa ratione à patibuli pœna eximendos putat. Carpz. *P. 4. C. 33. Def. 7.* quod saccularius

*Saccularii à pro-
pter in-
certitu-
dinē per-
sone libe-
rentur?*

Decisio.

certam personam nominare non possit, quam spoliaverit, quod pluribus deducit idem *in prax. Crimin. Qu. 81. num. 32.* ubi ultra fustigationem illos non puniri dicit. Verum non æquè cautè cum his procedendum putamus, de quibus constat quod furandi artem profiteantur publicè; Nec adeò penitus hic deficit certitudo corporis delicti, cum vix aliter ad notitiam judicis veniat delictum hoc, quam si tandem ab aliquo deprehendantur, quo casu, si de iteratione aliqualiter constet, non eximendi videntur ultimo supplicio, quam poenam quoq; Facultas juridica Amplissima hic loci aliquando dictavit, referente & pluribus probante Excell. Dn. D. Strykio. *Dissert. de saccul. & Directar. c. 4. n. 26, qua extat, vol. 1. Disp. 3.*

*Possessor
rei furti-
va autho-
rè nomi-
nare de-
bet.*

IV. Ulterius in furto impersonalitas indicium præbet ad inquisitionem, si enim res furtiva apud aliquem deprehensa, ille verò se emisse dicat, personam verò à qua emerit, indicare non valeat, eo ipso suspectus est. Unde eleganter Imp. Alexander in *L. Civile. 5. C. de furt.* dicit, *ab ignoto & praterente te emisse non convenit, volenti evitare, alienam bono viro suspicionem.* Gemina huic habet Imp. Carol. V. in *Const. Crim. Art. 43.* So der Diebstal bey dem verdachten gefunden etc. und er seinen Verkäufer und Wehrman nicht anzeigen wolte/ so hat derselbe eine redliche Anzeigung der Missethat wieder sich. Idem in casu deprædationis dispositum in *Const. Crim. Art. 38.* de quo pluribus videatur, Carpz. *Pr. Crim. Qu. 122. n. 39. seq.* ubi n. 47. id limitat, dicendo sufficere, si quis probare possit, se in foro publico illam rem emisse, ubi aliæ res venales extabant, sic enim non semper venditorem exprimere tenetur. Zang, *de Tert. c. 2. n. 176. Add. Christoph. Crus. tr. de indic. P. 3. C. 2. n. 2. seqq.*

*De cõsilio
ad furtũ
imperso-
nali.*

V. Cæterum furti actione tenetur non tantum qui ipse furtum fecit, sed & qui mandavit ut alicui furtum fieret, §. 11. *J. de obl. qua ex delict.* L. 52. §. 19. ff. *de furt.* modo furtum secutum L. 53. §. fin. ff. *de V. S.* Sande ad L. 47. ff. *de R. I.* quod quidem dubium non habet, quando certa perso-
na,

na, modus, locus denotatur, ubi furtum fieri debeat, quod consilium Dd. aliàs vocant instructorium, ex hoc tenetur consulens etiam criminaliter, modo furtum secutum, & consulens de lucro participaverit, licet ipse operam non præstiterit. Excell. Dn. D. Stryk. in Annot. ad inst. tit. de Obl. quæ ex delict. §. 11. à quo differt consilium monitorium seu simplex, ubi quis monet ad furtum faciendum, sine tamen adiectione certæ personæ, cujus exemplum proponit. Vinn. ad ad d. §. 11. n. 2. si quis de pauperie conqverentem hortatus fuerit, ut furto sibi pecuniam quærat, si is postea hoc consilium secutus Titio furtum fecerit non tenetur, qui consilium dedit, de quo casu nonnulli intelligunt verba finalia d. §. quod ipsum probatur, per §. 6. 7. de Mandat. ubi consilium tale, si quis otiosam pecuniam habentem hortatus fuerit, ut eam crederet, si is Titio crediderit, res verò postea malè cesserit, non est obligatorium, nec actionem mandati parit, sed si hortatus fuerit ut Titio crederet, omnino tenetur, prius enim consilium est tantum monitorium, & sic non obligat. Vinn. ad §. 6. 7. de mandat. n. 4. Ergo ut ad scopum nostrum redeamus, ex consilio impersonali nemo tenetur, etiamsi furtum postea secutum.

VI. Verum cum hac ratione ad generale vel impersonale consilium delinqvendi veniamus, obstare videtur regula illa decantatissima, quod consilium omne fraudulentum sit obligatorium L. 47. ff. de R. I. cap. 62. de R. I. in 6. & quod consilium, tali casu à mandato parum absit, licet consilium dicant fieri ad utilitatem accipientis, mandatum ad utilitatem mandantis Farinac. qu. 129. n. 59. seqq. Carpzov. Pr. Crim. Q. 4. n. 3. Quapropter dicendum videtur, omne Consilium etiam impersonaliter datum ad delinqvendum, punibile esse. Et quidem omnino admittimus, pœnam mereri omnem mali consilii, utut impersonalis, Autorem, occasionem enim delicti dedit, quæ impunita esse non debet. Aliud verò est, annon ob tale consilium impersonale pœna mortis afficiendus. Et hic distingvendum puto an imper-

An omne
consilium
ad delin-
qvendum
imperso-
nale pu-
nibile.

Distin-
gvitur.

sonalitas respiciat lædendum an lædentem, seu illum cui consilium datur: illa est, si inopia laboranti dixerò, uti jam in §. præc. adductum, furtum facias, non addita persona cui furto quid subtrahendum, quorsum & illud inopi aliquando datum: *judeum perimas, si dives esse cupis*. Et tale consilium ad pœnam quidem aliquam, sed non ad identitatem supplicii obligat. An verò impersonalitas tantum sit in persona lædente, E. G. si quis se excusare velit, quod consilium quidem dederit contra tertium, sed non ipsi qui factum implevit; Et hoc casu, delicto consummato pœnam eandem deberi dicerem, consilium enim per se directum fuit ad executionem hujus delicti, quod revera perpetratum; ipse quoque qui executus delictum, consilium hoc ex ore ejus audivit, & inde ad executionem delicti commotus fuit. Exemplum in pago huic Civitati vicino ante aliquot annos contigisse audivi, ubi cum ancilla Pastoris Ecclesiæ, ab hoc antea verberibus excepta, mitteretur ad cauponem cerevisiam petitura, Caupo ipsam plorantem advertens, interrogaverat, quid causæ subesset lachrymis? Cui illa; se graviter à Domino sine causa verberibus exceptam; Ad quod Caupo: *Wann mir das geschehe ich wolte einen Brand nehmen / und dem Priester die Scheune anzünden*. Ad quæ illa tacebat, & mox cum domum venisset, ignem immittebat horreo, qui ædes Pastoris pariter consumebat. Mota postmodum inquisitione, illa se instinctu Cauponis patrasse scelus prætendebat, Caupo verò se in genere dixisse, nec personæ ipsius hoc mandasse replicabat, facta tamen sententia ubi ancillæ, ut viva combureretur, Cauponi verò gladii pœnam & ut corpus postea concremaretur, dictavit Facultas juridica hujus Academiæ, & ut putamus, rectissimè.

Revocato mandato delinqvendi an sufficiat impersonalis monitio.

VII. Obiter huc referimus casum de revocato consilio vel mandato ad delinqvendum dato, an liberet si revocetur ante commissum delictum; Et sufficere dicunt si certus sit, alterum ita non commissurum delictum; aliàs monere debet illum contra quem datum consilium; quo casu mo-

monitio impersonalis non sufficiet: Sempronius möchte sich in acht nehmen / es wäre jemand / welcher ihn umbzubringen suchte / sed debet insimul nominare personam, quæ occidere volebat, quo sibi plenè prospicere possit is, cui imminebat periculum. Farinac. Oper. Crim. Qv. 129. n. 9.

VIII. Progredimur jam ad injurias, in quibus frequentior controversia de impersonalitate occurrit, cum verò injuria sit delictum privatum, quo fama alterius vel corpus læditur, unde oritur injuriarum actio contra inferentem injurias, satis inde apparet, non aliter actioni injuriarum locum esse quam si constet de persona tum inferentis, tum ejus cui illata injuria. Quod primum attinet, de illa omnino constare debet, sed quid si non constet, adeoque impersonaliter intentetur injuriarum actio, nulla hic executio fieri poterit, cum deficiat certa persona, contra quam experiundum. Unde cum aliquando cuidam in tumultu alapa infligeretur à quodam de quo non constabat, is de hac sibi illata injuria, consilium cujusdam Collegii juridici celebris petiit, contra quem ipsi inter plures illos actio injuriarum intentanda; Et hoc responsum tulisse dicitur: Ehrbahrer / guter Freund / habt ihr neulich im Tumult eine Ohrpfeig bekommen / und wisset nicht wer sie euch gegeben / so sendt ihr dieselbe zubehalten schuldig von rechtswegen. Ita optimè uti interrogatum responsum, ad exemplum Domitianæ quæstionis in L. Domitius 28. ff. qui testam. fac. poss. Spectat huc decisum Jcti in L. 7. pr. ff. de injur. quod qui famosum judicium tentare vult non debet vagari cum discrimine alienæ existimationis, sed designare & certum specialiter dicere debet. Exceptio tamen esse videtur in libello famoso, ubi Autor vel persona quæ conscripsit ignoratur L. un. C. defam. libell. unde & inventorem propalatoresque, si Autorem nominare nequeat, pro eo habent. Menoch. de Arb. jud. quæst. lib. 2. cap. 273. n. 28. Farinac. Qv. 105. n. 460. Barbol. P. 4. Concl. 67. n. 43. Quo ergo illi qui per ejusmodi libellum famosum læsus, ulla pateat famæ reparatio, receptum est, ut publicè

per

De injuria impersonali

Ratione inferētis.

Casus.

per Carnificem scriptum comburatur, & incertus ille Autor pro infami habeatur. Quod non penitus juri Romano incognitum est, cum & ibi quæ infamandi alterius causa conscripta sunt, è medio tolli possint *L. 37. pr. ff. de injur.*

*Ratione
patientis.*

*Notitia
personæ
non exi-
gitur.*

IX. Quod ad alterum casum attinet, ubi dubium est cui injuria sit illata, seu si impersonaliter verba prolata, supponimus ad omnem injuriam certam personam regulariter requiri; Licet ipse injuriam inferens hanc personam cognitam non habeat *L. 1. §. 8. ff. de injur. L. Cum qui nocentem 18. §. fin. ff. Eod.* versatur enim in re illicita, ubi excusatio ab incognita persona desumpta parum proderit, nisi forte alienis vestibus usa sit illa persona, ubi non æstimabitur injuria, pro qualitate personæ qualis illa revera est, sed pro qualitate quam vestes adscititiæ præ se ferunt, *L. 15. §. si quis virgines is ibi: ancillari veste ff. d. t.* quem casum illustratum vide à Dom. Præsid. *Disp. de Joc.* Quia verò injuriam inferentes solent nonnunquam verbis ambiguis injurias tegere idque variis modis ne persona notata videatur, illum casum ad materiam nostram maxime pertinentem videbimus, ubi quis injurias evomit, nulla certa persona nominata seu impersonaliter, & injuriarum actionilocus non est, quando enim incertæ personæ seu quod idem est impersonaliter fit convitium, nulla executio est *L. 15. §. 9. ff. de injur. h. e. nemini actio nascitur, quod per Executionem in d. L. 15. §. 9. intelligimus, nemo enim est qui eum convenire possit. Schard, de feud. P. 9. c. 4. n. 107. Carpz. Resp. 59. n. 12. lib. 2. Liberum enim semper fuit & licitum quoque libertati parcere personis. dicere de vitiis. Si tu talis non es, hæc nihil ad te. Sin agnoscis malum tuum te admonitum puta. Dn. D. Linck. in Disp. de Scommat th. 23. Et pertinet huc quod Freher. l. 2. de Existim. c. 2. n. 8. habet. Hoc genus (de impersonalibus injuriis loquitur) persequi & ulcisci velle, non est sapientis & moderati. etiamsi paulo mordacius videatur: sed silentio & risu dissimulare, ipsaque approbatione eludere. Quod non observavit Virgo quædam, de qua Dn. D.*

D.

D. Linck. *d. l.* quæ cum impersonaliter injuriæ quædam, in carmine quodam hymenæo essent prolata rerum gestarum, gnara judicem adiit, cum se his injuriis lædi persentisceret sed cum deficeret in probatione doli in se directi succubuit, quod ipsum confirmat. Heig. *P. 2. qv. 31. n. 31.* Carpz. *L. 2. Resp. 59. n. 12.*

X. Omnino ergò verba generalia utut injuriosa proferens, quamdiu in verbis plane generalibus subsistit non tenetur actione injuriarum; posito enim, quod quis aliquem iis petere intenderit, & id assidentes haud obscure subolfacere potuerint, adhuc tamen difficillima ex parte lacessiti erit doli probatio, quod illum respexerit, quod alium intelligere non potuerit. Heig. *d. l. L. 7. pr. & S. 4. ff. de injur.* Quod si verò in generalibus terminis non persistat, sed ad casus speciales, verbis non adeò generalibus descendat, quin actione injuriarum teneatur nullum est dubium; nec enim curandum cum quo quis loquatur, sed in quem voluntatis intentio dirigatur. *L. 77. S. 26. ff. de Leg. 2. & parum refert, proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, aut verbis quibusdam demonstretur L. 6. ff. de R. C. Heig. p. 2. qv. 31. n. 31.* quorsum pertinent versiculi.

Lim. s. impersonalitas ex circumstantiis evidatur.

*Ne tamen appelles proprio vel nomine quenquam,
Aut ita significes, ut postquam dixeris, omnis
Ardentes oculos cæcus convertat in illum.*

Unde ab actione injuriarum non est immunis, si quis historiam impersonaliter proferat, qua quosdam in Civitate aliqua quid patrasse, suamque existimationem non leviter commaculasse asserat, eorumque imprudentiam exaggerando illudat, itaque illos exterius describat, ut cuique appareat facile, hos notare voluisse loquentem: Sic enim non manet in generalibus terminis, sed ad casus speciales descendit personasque describit, unde non potest non injuriarum oriri actio & doli

Exempla.

G

& doli

& doli præsumtio, cum impersonalitas illa per circumstantias concurrentes satis tollatur. Berlich. *P. 5. Concl. 59. n. 45.* Carpz. *Lib. 2. Resp. 9. n. 13.* Eadem erit decisio, si quis verba injuriosa proferendo, solum quidem Cajum amicum forte & doli gnarum nominaverit, Sempronium autem, quem non nominavit tacita mente perstrinxerit, seu Cajo actiones Sempronii applicaverit & satyricè traduxerit, injuriarum actione conveniri poterit à Sempronio, cum ex indiciis appareat, in hujus contumeliam verba injuriosa esse prolata. Harpr. *ad §. 1. 7. de injur. n. 140.* ratio hujus peti poterit ex *d. L. 77. §. 26. ff. de Legat. 2. sc.* non curandum esse cum quo quis loquatur, sed in quem voluntatis intentio dirigatur, Carpz. *d. Resp. 59. n. 17.* Schrad. *P. 9. c. 4. n. 108.*

De retor-
quente
verbis im-
persona-
libus.

XI. Eadem ratio est, si mihi cum alio verborum reciprocatio intercedat, à quo cum antea læsus essem, verbis generalibus & impersonalibus me defendere cupio, unde cum in facto casus contigisset, ubi quis injuriis laecessitus per modum retorsionis talia verba inter alia protulerat: *Er wäre in einem reinen Ehebette nicht zu frühe wie andere / sondern acht und recht geböhren / injuriæ quidem erant sed impersonales, hinc quæsitum annon qui verba talia protulit, adigi possit ut juramento se purget, annon illum, cui retorsionem miserat, hisce injuriis perstrinxerit? Rationes dubitandi erant, quod nullam certam personam nominasset, adeoq; non videbatur adigi posse, ut mentem suam juramento declararet, cum cogitationis poenam nemo patiatur. L. cogitationis 18. ff. de pæn.* Histamen non obstantibus ab hac Amplissima Facultate decisum *d. 12. jun. Ann. 1676.* *Wess die retorsion auf eine gewisse Person / nemlich eure Ehefrau gericht / beklagter auch nichts anders intendiret, als die vermeinte injurien von sich ab / und auff eure Ehefrau retorquendo zu weihen / und also evidentem præsumtionem wider sich hat / daß Er dieselbe in specie schimpfen wollen; verba enim impersonalia referrè solent ad illam personam cum qua loquimur* Donell. *ad L. 5. §. 1. ff. de V. O.*

A. V. O. so ist Er von sothaner præsumtion vermittelst Eydes sich zu purgiren schuldig / daß Er eure Ehefrau mit solchen Worten nicht gemeinet per tradita. Carpz. P. 2. Qu. 97. n. 6.

XII. Hac occasione commodam meretur discussione- *An pro-*
nem, an impersonales injuriæ locum faciant processui dif- *pter im-*
famatorio? Receptum enim videmus, si injuriam passus ex *persona-*
L. *Diffamari* experiri velit, ut diffamator vel probet quæ *les inju-*
dixit, vel perpetuum expectet silentium. Gail. lib. 1. Obs. 9. *rias agi*
n. 2. Heig. P. 1. qu. 8. licet minus commodum ad injurias *possit ex*
removendas hoc videatur remedium. Carpz. Pr. Crim. Qu. *L. Diffa-*
97. n. 68. Ergò in casu eveniente, ubi foemina hæc scripto *mari?*
cuidam inseruerat; Ihre Schwestern hätten des Vatern Gü-
ter Ihr weggeraubet / und verprasset / & postea: Ihre falsche
Eains Schwestern hätten des sehl. Vatern Güter gar dahin /
una ex tribus sororibus harum injuriarum nomine diffama-
torium movebat processum: Rea regerebat probandam esse
diffamationem specificam, se nullam sororem nominasse,
& duas adhuc alias adesse, quàm actricem, ideoq; ob incer-
titudinem non fundatam esse actricis intentionem, nec ge-
neralitatem scripturæ & sermonis mox operari in quacunq;
specie arg. L. *Emtor. 47. §. Lucius ff. de pact. L. 31. C. de Trans-*
act. & ibi Dn. Brunnem. *Comm. ibid.* Nec liberum esse ali-
cui ex suo sensu alterum diffamationis reum facere, cum
ad effectum loquentis respiciendum L. 3. §. 1. ff. *de injur.*
Schneidevv. *Comm. inst. de injur. §. ult. n. 3.* Verùm non suf-
ficere existimavit Amplissimus Ictorum ordo in hac Aca-
demia Exceptiones illas ad impediendum processum diffama-
torium sed *d. 12. Septemb. Anno 1682.* sequenti modo re-
spondit: Weil aber dennoch die von der imploratin gebrauchte
verba generalia, an sich nicht vaga, oder absolutè impersona-
lia, sondern auff gewisse Person n / nemlich Ihre Schwestern
restringiret, dererselben aber nur 3. vorhanden / von welchen
Sie in plurali numero obige anzüglliche Worte geschrieben /
auch niemand / vielweniger die imploratin von solcher Bezüch-
tigung

rigung excipiret, dergleichen pluralis locutio regulariter auff alle und jede / so darunter begriffen / gezogen wird / So ist imploratin, in so weit hindurch graviret, daß sie vermittelst Endes zu erhalten schuldig / daß sie auff der Implorantin Person / nicht gezelet / auff welchen Fall sie von der Diffamation-Klage zu absolviren, im widrigen aber ist die Imploratio ex L. Diffamari gegründet.

*De verbis
impero-
nalibus
Ministro-
rum Ec-
clesiæ.*

XIII. Non alienæ ab hoc loco sunt impersonales Ministrorum Ecclesiæ stricturæ, quibus perversos quorundam mores pro concione tangere solent; quæ res omnino ipsorum officio convenit, inde regulariter pro iis præsumendum quod emendandi magis quam diffamandi causa talia pro concione protulerint Dn. Brunnem. *de jur. Eccles. Lib. 2. cap. 18. §. 63.* Quod si tamen limites officii exceßerint, & impersonalibus missis personalia tractaverint, & verbis infamantibus personam ita depingant, ut unicuique Auditorum pateat, quibus indigitetur, actioni injuriarum utique locus erit. Struv. *ad ff. Exerc. 48. tit. 55.* Carpz. *Jurispr. Eccles. lib. 3. Class. 2. Cap. 2. n. 7.*

*Revelatio
confessio-
nis quan-
doq; im-
personaliter
fieri
potest.*

XIV. Cum verò injuriarum impersonalium occasio nos ad Sacrum ordinem deduxerit, id notandum adhuc duximus arctissimum illud vinculum, quo constringi videntur Ministri Ecclesiæ ad retinenda illa quæ ipsis in confessione revelata, per c. *Si sacerdos 2. X. de offic. jud. Ordin.* Carpz. *Jurispr. Eccles. lib. 3. Def. 25. n. 8.* hanc limitationem recipere, nisi innocentem in periculo vitæ constitutum videant, cum tamen nocentem ex facta confessione notum habeant. Hoc casu ergo, ne sanguis innocens effundatur, adire Magistratum debet, & dicere illum esse innocentem, sibi de nocente ex confessione constare, sed eum à se ob sigillum confessionis nominari non posse. D. Adr. Beier. *de sigill. confess. Sect. poster. c. ult. §. 10.* Idem dicunt si confessio facta de delicto committendo, sic teneri quidem Ecclesiæ Ministrum ad revelationem propositi sceleris, quo ille cui malum im-

minet,

minet, sibi prospicere possit, sed hoc impersonaliter fieri debere dicunt, non expressa persona, quæ hoc confessa. Vincent. Caroc. *de Revel. Confess. Qu. 22.* quod admitti potest si hac ratione satis impediri possit delictum. vid. Dn. D. Stryk. *de Credent. Revelat. Cap. 5. n. 23.*

XV. Qua occasione huc refero deprecationem Ecclesiasticam, quæ quoad scandalosos peccatores optima ratione in Ecclesiis nostris adhibetur, ubi disquiritur an illa personalis esse debeat an impersonalis? Posterius mores probant, prius nos verius existimamus, si enim scandalum datum publicè, cur non exprimenda esset persona pœnitentis? Quem non puduit peccasse, eum nec pudeat pœnituisse. Nec obst. *c. 2. X. de off. Jud. Ord. & c. 5. X. de adulter.* ubi quis non nominatim arguendus, sed indeterminatè, & adulteri nomen celandum. Alia enim ratio est delicti, quod soli Ecclesiæ Ministro cognitum, alia, quod publicè notum, de quo nobis quæstio. An & quando aliàs Auditor in primis ab auditu verbi divini & usu Sacramentorum se abstinens publicè pro concione personaliter exprimi & nominari possit vid. Excell. Dn. D. Stryk. *Observ. ad B. Brunnem. Jus Eccl. Lib. 2. cap. 19. §. 25.* De impersonali illa personarum matrimonio jungendarum denunciatione, Wann ohne benennung einiger Person vor eine Ehefache / so vollenzogen werden soll / gebeten wird / paucis notamus, illam fini publicæ proclamationis manifesto repugnare: Est enim instar Edictalis citationis, ut tollatur matrimonii impedimentum. Dn. D. Stryk. *ad d. L. 2. c. 16. §. 6. p. 587.* Nec pudere desponsatos poterit, ad honestiorem sancti hujus negotii consummationem nominari publicè; nisi qui forte anticipato concubitu pudorem omnem deposuerunt, ut sic sponsam defloratam publicè adhuc virginem nominari erubescant.

XVI. De deprecatione moribundi impersonaliter per Sacerdotem facta: Er stesse bitten / wo er jemand in dieser Ge-

Deprecatio Ecclesiastica an possit esse impersonalis.

An & quando persona aliqua pro concione nominari possit?

Impersonalis deprecationis

agroti an tollat a- etionem Injuria- rum? metne erzürnet oder beleidiget / dieselbe wolle es ihm verzeihen / desgleichen hätte er in seinen Herzen auch gethan; Sic quoque disquiri posset, an si reconvaluerit agrotus, per hanc impersonalem deprecationem & remissionem excludatur ab actione injuriarum à Titio antea sibi illatarum. Et quamvis affirmativam haud pauci defendant,asserentes salvam esse actionem injuriarum nisi huic in specie renunciatum Berlich. *P. 5. Conclus. 70. n. 20. Richt. centur Reg. jur. Reg. 2. n. 47.*

Deciditur.

qvirancorem tantum animi, non actionem ipsam ita remissam contendunt. Attamen conscientiae parum consulta videtur hæc opinio, cum moriens sine dubio omnem vindictam deponere debeat, & tali deprecatione deposuisse videatur, ad vindictam verò tendit actio injuriarum *L. 15. §. 46. ff. de injur. L. 2. §. 4. ff. de Coll. bon.* Ergo illam movere postea non poterit, nisi per injuriam simul damnum senserit, cujus reparatio ipsi nunquam denegata, de quo pluribus

Impersonalitas in inquisitione generali.

Dn. D. Stryk. Dissert. 9. de jur sens. c. 4. n. 10. seqq.
XVII. Missis delictis, ex processu Criminali observandum putamus, hic aliquando impersonalitatem judici commendari, adeò ut si hac missa personam expresserit, peccet. Exemplum primò se offert in inquisitione generali, quando de illo qui delictum commisit, nondum constat, quæ inquisitio omnino impersonalis esse debet, ut testes examinati generaliter interrogentur, quem putent esse delicti reum, & ex qua causa, non verò ullus, quem forte suspectum credit judex, nominandus *Dn. Brunnem. Process. inquisit. cap. 2. n. 11.* nominatio enim certæ personæ gravaret famam alias innocentis: Quo remedio verò ita judex uti possit ad indagandam certam personam delinquentem, vide apud *Oldekop. Tit. 2. obs. Crim. 22.*

Impersonalitas in examine de socio.

XIIX. Porro in processu Criminali judici impersonalitas commendata esse debet in examinando reo de sociis Criminis; Solent enim quandoque torturæ subjecti simul interrogari de sociis criminum, quorum consilio vel auxilio delictum patnaverint *L. Quo ultimo 29. ff. de pæn. L. Divus*

vus 6. ff. de Custod. reor. L. 1. C. de fals. mon. Zanger. de Tort. cap. 2. n. 73. seqq. ubi id non indistincte procedere dicit: sed tunc præcipue, si delictum sine sociis patrari non soleat Add. Farinac. *qv. 43. n. 56. seqq.* Menoch. *Lib. 2. Arbitr. Jud. quest. Cas. 474. n. 27. seqq.* Quo verò illa confessio & inculpatio socii effectum habeat impersonalis debet esse interrogatio per *Const. Crim. Artic. 31. S. 1.* Daß dem Sager die beklagte Person in der Marter mit Nahmen nicht fürgehalten / und also auf die Person / sonderlich nicht gefragt oder gemartert worden sey / sondern daß er in einer Gemein gefragt / wer ihm zu seiner Missethat geholffen / ut eapropter personalis interrogatio contra nominatam personam faciat indicium Carpz. *Pr. cr. Qv. 121. n. 29.* Et hæc personalis interrogatio aliàs suggestio dicitur, quia iudex nominando personam suggerit, de qua confitendum, à qua suggestionem tanquam peste cavendum iudici, uti ex Ambrosin. *Process. Informat. Lib. 4. c. 2. n. 8.* notat B. Brunnem. *Proc. inquisit. c. 8. memb. 5. n. 68.* Nam confessio per suggestionem elicitæ, non nocet reo confitenti nec aliis, etiam si ratificata sit. Oldekop. *Tit. 4. observ. Crim. 10. n. 6.* quæ in parte in examinibus sagarum quotidie fere peccari experientia docet, cum tamen nulla de socio Criminis confessio tam exigui momenti sit, quam Sagæ de socia confitentis Vid. Dn. Stryk. *de jur. sens. Proem. n. 32. seqq.*

XIX. A Processu Criminali paulisper deflectimus *Impersonalitas in civili iudicio.* ad Civilem, licet quæ hic de impersonalitate dicturi, certa ratione etiam criminalibus negotiis possint applicari, quia vero citatio est initium omnium actionum instituentium §. 3. *J. de pæn. rem. litig.* fundamentum iudicii Gail. *L. 1. Obs. 48. n. 1.* Petr. Gregor. Tholos. *Syntagm. lib. 48. c. 2. n. 1.* quæ in quolibet actu requiritur etiam notorio imò & summario. Zanger. *de Except. P. 1. c. 2. n. 8.* adeò ut ea invalida nullum producat effectum, Gail. *lib. 1. obs. 48. n. 2. seqq.* de ea ergo primum videbimus; Hic verò tres præcipue casus

Impersonalitas in citante. sus erunt observandi, primus est, quando impersonalitas est ex parte judicis, si ejus nomen in citatione non exprimitur, sic enim non valet citatio impersonaliter concepta, quia semper citationi judicis nomen addi debet, quo citatus scire possit an ad competentem judicem sit citatus. Eckolt *ad ff. tit. de injus voc. §. 16.* Schrad. *de feud P. 9. c. 7. n. 37.* Mynsing. *Cent. 6. obs. 50. n. 3.* coram incompetente iudice enim nemo comparere tenetur, cum extra territorium iudicanti impune non pareatur *L. fin. ff. de jurisd.* Gail. *d. l. n. 7.* sufficit tamen hic expressio nominis officii & dignitatis, licet non addatur nomen proprium, cum ex officio satis constet de persona. Bernh. Grav. *Lib. 1. Cnncl. 48. Consid. 1. in fin.*

Impersonalitas circa actorem. XX. Alter casus erit ubi impersonalitas ex parte citationem impetrantis, & hæc quoque vitiat, si sc. non addatur nomen actoris, sic enim citatus de eo, qui ipsum citari curavit, certus esse nequit: quod tamen requiritur, ut deliberare possit, cedere an contendere velit; Accedit insuper & hæc ratio, quod sic non appareat an ad instantiam partis, an proprio motu iudex citationem decreverit. Gail. *L. i. Obs. 59. n. 1. seqq.* Ultimus denique casus est ubi impersonalitas occurrit ex parte citati, & hic quoque vitiat, nomen enim & cognomen citandi in citatione exprimi debet, ut cognoscat citandus utrum citatio ipsum concernat, & ut fraudibus obvietur Gail. *L. 1. obs. 41. n. 1. seqq.* ubi alias addit rationes, quod executio in non nominatum fieri nequeat, & prius persona quam ratio quaerenda: unde in Camera Imperiali nunquam decernuntur citationes contra N. N. Titii hæredes ne citatio reddatur elusoria; contra non nominatum enim procedi nequit Scacc. *de judic. c. 31. n. 11.* sive unus sit sive plures Mev. *P. 1. D. 256,* imò non tantum nomen proprium, sed & agnomen paternum æquivocationis evitandæ causa addendum, ne si plures ejusdem nominis

nis incertitudo vitiet citationem. Schrader *d. P. 9. C. 7. n. 8.*
 Carpz. *Proc. Tit. 7. Art. 2. n. 11.*

XXI. Admittitur tamen quandoque impersonalis ci- *Imperso-*
 ratio, si alicui cum incerto Contradictore sit, quo casu *nalis ci-*
 generalis & Edictalis citatio decerni solet, quò sine expres- *tatio quã*
 sione personæ citentur, qui sua id interesse putaverint. *Auth. do per-*
Si omnes C. Si min. se ab hered. c. 47. de Elect. in 6. Mynsing. missa?
Cent. 2. Obs. 47. quæ citatio impersonalis nullibi frequentior
 est, quàm in Concurribus Creditorum, ubi multitudo Credi-
 torum etiam latentium eandem extorquet. Franc. Salgad.
 de Somoza. *P. 1. c. 1. n. 34. seqq. Mev. in Discus. levam. inop.*
Credit. cap. 3. n. 120. Et licet aliqui Creditores certi sint, ne-
 cessitas tamen urget, ut nihilominus citatio sit generalis, ne fi-
 nito Concurfu Creditores veniant, & ex capite ignorantia
 restitutionem petant. B. Brunnem. *de Process. Concurf. Credit.*
cap. 2. §. 2. Idem in aliis casibus obtinet ob multitudinem
 & incertitudinem Creditorum. Neguzant. *de Pignor. membr.*
1. p. 8. n. 13. Caroc. de Excus. bon. q. 32. n. 29. Carpzov. lib. 2.
Resp. 25. & lib. 3. Resp. 23. Scacc. de judic. c. 34. n. 18.

XXII. Sequitur nunc ut de libello dispiciamus, quate- *Imper-*
 nus cum impersonalitas vitiet. Duplici autem modo fieri *sonalitas*
 potest ut impersonaliter concipiatur libellus, vel ex parte *Circa li-*
 libellantis, si non constet quis libellum conscripserit, v. g. *bellum.*
Domine iudex petitur à vobis, quo casu omnino impersona-
 litas vitiat cum actor semper debeat esse certus. Bald. *in L.*
Edita 3. C. de Edend. Bart. in L. Competit. 16. §. in Summa 2. ff.
quod vi aut clam. Vel ex parte rei conventi est impersona-
 litas, & itidem vitiat; quamvis enim sensus intellectualis
 perficiat orationem in suo constructu non perfectam, maxi-
 mè in libellis, quorum validitati jus favet. *arg. L. Cum pater*
77. §. cum imperf. 22. ff. de Legat. 2. L. 1. §. fin. ff. de Hered. in-
stit. Ludov. Roman. consil. 186. n. 1. seqq. in Camera tamen
 Imperiali libellus supplex impersonaliter conceptus non ad-
 mittitur, v. g. contra N. & N. Titii hæredes, sed decretum
 H datur

datur hoc pacto: si supplicans hæredum nomina expresse-
rit, fieri debet quod juris est. Gail. *L. 1. Obs. Pract. 49. n. 5.*

*Circa
acta.*

XXIII. Acta quoq; judicialia non debent imperso-
naliter esse conscripta, sic enim non valet actus utut actis
insinuatus, sed exprimendum quis insinuaverit & quo præ-
sente. Vid. Disp. Excell. Dn. D. Stryk. *de jur. Protocoll. cap. 5.
n. 55.* Unde non valent attestations testium, si Notarius in
genere in actis dixerit: hac die sex testes fuerunt examina-
ti & juraverunt, nisi exprimantur nomina testium, ut detur
parti defensio legitima contra falsitatem si quæ subsuerit, &
exceptiones contra personas testium competentes propo-
nere possit, quod vel inimici ejus sint vel aliàs à testimonio
repellendi *L. Optimam 14. C. de contrab. & committ. stipul.
& quia incertitudo totum vitiat Processum. L. 3. ff. de Reb.
dub.*

*Circa
probatio-
nes.*

*Testis de
auditu
personam
exprimat*

*Idem in
fama.*

XXIV. Probationes in judicio luce meridiana debent
esse clariores, unde non valent quæ impersonaliter fiunt. Fi-
unt autem vel per testes vel per instrumenta. Testes clarè
& perspicuè deponere debent, non verbis obscuris: unde si
testis de auditu deponat nec exprimat à quibus audiverit
non valet depositio. Petr. Anton. de Petra *de Fideicommiss.
Qu. 13. n. 66.* adeò ut etiam non interrogatus testis de audi-
tu deponens, personam à qua audiverit, exprimere tenea-
tur. Camill. Borell. *Decis. Tom. 2. Tit. 13. n. 42.* qui enim testa-
tur se audivisse, adjicere debet à quo audiverit, ut judex ul-
terius inquirere possit. Quod præcipuè obtinet, si testes su-
per fama examinandi, ubi si pro fama deposuerint, de au-
thore famæ examinandi. Fama enim plerumq; fallax, nec
majorem meretur fidem, quàm Autor, cui fama originem
debet. Unde à teste super fama deponente exigunt Dd. ut
non impersonaliter deponat, se ita hinc inde audivisse, sed
nominet personas, à quibus hæc publicè dicta audiverit. Me-
noch. *conf. 480. n. 30.* Alexand. *Vol. 4. Consil. 25. n. 6.* Conf.
Marquard. Freher. *de Fama, lib. 1. cap. 6. n. 36.* Quapropter
testi

testi de fama hoc modo deponenti: man saget so / es gehet
 die Rede so / non credendum, si exprimere personas nequeat
 quæ hoc dixerint. Pacian. *de Probat. lib. 1. cap. 49. n. 28. seqq.*
 Farinac. *Qv. 47. n. 232.* Quando verò in probatione famæ
 personæ expressio necessaria sit exposuit Dn. D. Stryk. *De jur.*
sens. Disp. 3. c. 4. n. 13. seqq.

XXV. Pertinet huc quoque testimonium de delicto *Testes nocturni.*
 nocturno, quod plerumque impersonale est, cum visus, quo
 personam cognoscimus, hic cesset, nisi splendor lunæ con-
 currat, de quo prolixè Polydor. Ripa *Tract. de nocturn. Temp.*
cap. 57. Farinac. *Qv. 62. n. 40. seqq.* Sed quid si testis noctur-
 nus personam ex auditu vocis designare velit? Et creden-
 dum putamus testi, si ex circumstantiis appareat ipsum vo-
 cem loquentis optimè cognitam habuisse: Nam si tali casu
 cæci testimonium valet. Farinac. *Qv. 61. n. 26.* Everhard. *de*
Testib. cap. 2. mem. ult. n. 314. Blas. Michal. *de Cæc. mut. &*
surd. cap. 19. Cur non & testi non cæco de actu nocturno
 deponenti credendum, si ex notitia vocis de persona depo-
 nat? Ripa *c. 58. n. 4.* Semper tamen hic circumspectum judi-
 cem esse oportet, cum vox hominis mutabilis, & qui noctur-
 nis adsveti vitiis, vocem mutare pro lubitu haud difficul-
 ter possunt.

XXVI. Ad sententiam progredimur, quæ cum vel ab- *Senten-*
 solutionem vel condemnationem continere *L. 1. in fin. ff. de* *tia im-*
de Re Judic. seu certa esse debeat *S. Curare ff. de act. L. pen.* *persona-*
& ult. C. de sent. quæ sine certa quant. sequitur exinde eam *lis.*
 impersonalem esse non posse, cum exprimendum, quis & cui
 satisfacere debeat. Prückm. *Vol. 2. Consil. 19. n. 109. seqq.* non
 tamen exprimere debet nomen illius, qui in iudicio non fuit
L. 1. C. de sent. & interloc. Quod si inter plures iudicium
 susceptum, ut in devidenda hereditate, non generaliter
 causam componat iudex, sed in omnium personis absolu-
 tiones & condemnationes faciat *L. in hoc iudicio ff. famil.*
ercise. L. 4. §. 3. ff. de Except. dol.

XXVII.


*In Appel-
latione,
omitti po-
test per-
sona ju-
dicis ad
quem,*


XXVII. Restat Appellatio, in qua unicum hoc ad materiam nostram trahimus, quod subsistat appellatio, utut impersonalitas adsit in persona judicis ad quem, h. e. utut non expresserim ad quem appellem. Fit enim omnis appellatio gradatim ad judicem proximè superiorem *L. 1. §. 3. & L. 21. ff. de Appell. Nov. 23. c. 3.* nisi tamen illi deneget justitiam, quo casu eum praterire licet *Carpz. Proc. Tit. 18. artic. 1. n. 43. Scacc. de Appell. Qv. 7. n. 36. Berlich. P. 1. Concl. 50. n. 68.* Quapropter si appellatio impersonaliter quantum ad judicem interposita, ea nihilominus subsistit, & tacitè ad judicem proximè superiorem appellatum videtur. *Hillig. ad Donell. lib. 28. cap. 6. Scacc. de appellat. d. qv. 7. n. 24.* Unde non infreqvens praxis est, præsertim si appellatio coram Notario interponatur, ut appellans dicat: *Er wolte hiemit an einen jeden Richter / dahin diese Sache gehöret / appelliret haben.* *Add. B. Dn. Brunnem. Process. Civil. cap. 28. n. 50.* Atque hæc sunt quæ exercitii Academici loco proponere libuit: quod si Erratis veniam haud difficilem indulseris, promptissimos nos ad habendas gratias deprehendes. DEO vero nostro, Patri omnis boni, pro immensa sua bonitate, quam huc usque nobis exhibuit, sempiternam gloriam nuncupamus.


Conclusio.

TANTUM!











00 A 6432

ULB Halle 3
002 927 969



VD 17



VOLV
VARIAN
NUM



Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA,
DE
**JURE IMPER-
SONALIUM,**

2^{AM}
OCCASIONE
L. 15. ff. de Stipul. Serv. & Novell. 115. c. 6.
FAVENTE SUPREMO NUMINE,
Consentiente Magn. J. Ctorum Ordine,
IN ILLUSTRIVIADRINA,
PRÆSIDE
DN. JOACHIMO HOPPIO, J. U. D.
GYMNASII GEDANENSIS VOCATO PROFES-
SORE ET INSPECTORE,
FAUTORE, PRÆCEPTORE, & HOSPITE SUO
HONORATISSIMO,
Die XI. Octobr. Anno M. DC. LXXVII. Horis consvetis,
Placido Eruditorum Examini submittit

CASPAR MATTHÆUS MÜLLER,
ROSTOCHIENSIS.

Francofurti ad Viadrum Literis Johannis Cœpfelii, Acad. Typogr.

№ 25

